



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum**

**Corvinus van Beldern, Arnold**

**Amstelodami, 1663**

Liber III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10591**

ARNOLDI CORVINI  
 à BELDEREN J. U. D.  
**JUS CANONICUM,**  
 PER  
**APHORISMOS**  
*Strictim*  
**EXPLICATUM.**  
 .LIBER TERTIUS.

*De Iudiciis.*

TITULUS I.



ABSOLUTIS duobus hujus Iuris objectis, *personis* puta, & *rebus*: restat explicandum tertium; puta *judicia*.

*Iudicium*, est legitima controversiæ apud Iudicem tractatio & dijudicatio. *arg. c. forus. 10. de verb. signif.*

Est vel *Ecclesiasticum*, vel *Seculare*; *Ordinarium*, vel *Extraordinarium* seu *Summarium*.

*Ecclesiasticum* est, quod coram Iudice Ecclesiastico, inter personas Ecclesiasticas, vel saltem contra personam Ecclesiasticam (si quidem Actor sequitur forum Rei), aut de causa Ecclesiastica agitur. *c. decernimus. 2. hic. c. causam matrimonii. 16. de offic. Deleg. c. fin. de foro compet.*

*Seculare* est, quod coram Iudice Laïco, inter personas seculares, de causa seculari exercetur. *d. c. decernimus.*

*Ordinarium* est, in quo exquisito & solenni juris ordine servato proceditur; ut puta, *libellum porrigendo, litem*  
 conte-

*contestando, & alia à jure præscripta faciendo. De quibus infra latius.*

*Extraordinarium seu Summarium est, quando non in figura judicii, sed ex Judicis officio, per modum inquisitionis, vel denunciationis, vel aliàs de plano, ex æquitate, proceditur. c. super his. 16. & c. qualiter. 17. de accus. de quo infra tit. ult.*

Est & judicium aliud *Civile*; cujus finis privatum commodum respicit; de quo hoc libro agemus: aliud *Criminale*; quod publicum interesse, publicamque vindictam respicit. *Dd. in rubr. hic.* Et de hoc lib. 4. tractabimus.

Constituunt judicium, *Judex, Actor, Reus. d. c. forus. verb. in omni. 10. de verb. signif.*

Pro quibus aliæ personæ accedere possunt, ad tres tamen illas pertinentes, ut, *Procurator, Advocatus, Testis, &c.* pro litigantibus; pro Iudice, *Vicarij, Consiliarii, Assessores, Notarii, Amanuenses, Apparitores, &c.*

### De Iudice.

#### T I T. I I.

**J***udex, est persona, quæ Iurisdictioni præest, ac populo, juxta legis præscriptum, locique consuetudinem, jus dicit. c. forus. 10. §. judex. de verbor. signif.*

Est vel *Ordinarius*, vel *Extraordinarius* sive *Delegatus*.

*Ordinarius* est, qui jure suo, vel superioris beneficio, jurisdictionem universaliter potest exercere; ut *Episcopus, Archiepiscopus, Legatus, & similes, jurisdictionem à Papa habentes. c. omnes. 1. dist. 22.*

Hic potest quocunque in diœcesis suæ loco non exempto, per se, aut per alium, pro tribunali sedere; causas ad forum Ecclesiasticum pertinentes audire; personas Ecclesiasticas, si earum merita exposcant, capi, & in carcerem detrudi, jubere; cæteraque ad officium ejus spectantia exercere. *c. cum Episcopus. 7. de offic. ordin. in 6.*

Archie-

Archiepiscopus, etsi in omnes provinciæ suæ Suffraganeos Iuris habeat dictionem; in eorum tamen subditos, paucis articulis exceptis, potestatem non habet. *c. pastoralis. 11. in princ. ubi Gloss. de offic. ordin.*

Sic & Patriarcha non potest de causis eorum cognoscere; qui Archiepiscopi sui vel Episcopi sub ditione sunt. Nisi appellatione ad eum legitimè interpositâ, aut consuetudinis alicujus aut privilegii jure. *c. duo simul. 9. eod.*

*Extraordinarius Iudex* est, qui non jure suo, vel superioris beneficio, sed velex partium consensu, ut *Arbiter*, de quo *infra*, vel ex superioris commissione, ut *Delegatus*, alicujus causæ judicialem cognitionem recipit. *c. sanè quia. 91. c. cum olim. 33. de offic. deleg.*

Delegare Iudicem possunt, & Ordinarii, & Papæ Delegati; Licet dati sint ex officio vel de partium consensu, vel cum clausula, *Quod si non omnes, &c. c. fin. eod.* Non Delegati Ordinariorum; nisi causarum universitas delegetur. *c. in literis. 29. eod.*

Qui delegantur, debent esse homines liberi, masculi, ætatis legitimæ, id est, vigintiannorum, *c. cum vigesimum. 41. eod.* ingenio & iudicio præditi, providi, periti, jurisdictioni Delegantis subditi, personæ Ecclesiasticæ; licet simplices sint Clerici, si ab Ordinariis delegentur: si à Papa, aut ejus Legato; debent aliqua in dignitate vel personatu esse constituti, aut saltem Ecclesiæ alicujus cathedralis esse Canonici. *c. statutum. 11. vers. sancimus. & ibi Gl. de rescript. in 6.*

Hinc est, quod principalis Episcopi Officialis, & Religiosus conventualem Prioratum obtinens, à Sede Apostolica & ejus Legato delegari possit, non Officialis foraneus, aut Religiosus monasterii sui Prior claustralis. *Clem. etsi. 2. de rescript.*

Delegari quidam impediuntur *Naturâ*, quidam *Lege*, quidam *Moribus*.

*Naturâ*; surdi, muti, *c. 1. §. tria sunt. 3. qu. 7. perpetuo*

tuò furiosi, *d. c. 1. vers. & qui perpetuò. minores vigin-  
ti annis. d. c. 1. vers. & impubes. d. c. cum vigesim-  
um. 41.*

*Lege; qui Senatu moti, d. c. 1. vers. Lege qui. infames.  
c. licet ex. 47. de testibus. c. 2. infames. 3. qu. 7.*

Infames sunt, hæretici, fures, sacrilegi, capitalibus  
criminibus irretiti, sepulcrorum violatores, & qui se  
Episcopis opponunt, incestuosi, homicidæ, perjuri,  
raptores, malefici, venefici, adulteri, anathematizati,  
& omnes quos Ecclesiasticæ & civiles leges infames pro-  
nunciant. *c. 17. infames. 6. qu. 1. c. 9. hi qui Episcopos. 3.  
qu. 4.*

*Moribus impediuntur delegari; feminae, servi. Quia  
receptum ne civilibus officiis fungantur. d. c. 1. vers. mo-  
ribus. c. ad probandum. 24. de sentent. & re jud. c. 17.  
mulierem. 33. qu. 5.*

Non tantum unus, sed & duo, tres, vel plures, ad ean-  
dem causam Judices dari possunt: idque vel *simpliciter*,  
vel *clausulâ aliquâ adjectâ*.

Si *simpliciter*, tum unus, vel aliqui ex ipsis, sine aliis,  
vel sub delegatione eorum, in delegatæ causæ cogni-  
tione, procedere, & sententiam ferre non possunt; si  
fecerint, illa ipso jure erit nulla. *c. cum causa. 22. de  
offic. deleg.*

Dixi, *sine aliorum subdelegatione*; Quia qui impediti,  
loco suo alios subdelegare possunt; quos si Collegæ non  
admiserint, processerintque, processus fiet irritus. *c.  
quamvis. 6. & Abb. in c. coram. 34. eod.*

Si delegatio pluribus facta, cum Clausula, *Si non omnes  
interesse potuerint, reliqui nihilominus exequantur*; vel  
cum Clausula, *Si ambo interesse nequiverint, unus ex illis  
cognoscat*; tum, si unus vel plures interesse non possint, vel  
non velint, dummodo per nuncium aut literas de hoc con-  
fiter; cæteri ad causæ cognitionem procedere possunt; nec  
impediti delegati subdelegatummittere tenentur. *c. cum  
causa. 22. c. cum super. 23. c. prudentiam. 21. §. adjicimus. eod.*

Si

Si unus tamen negotium inchoaverit, alii se intromittere non possunt; Nisi is qui prævenit, postmodum justa aliqua causa fuerit negotium finire impeditus, aut dolosè detrectet procedere. *c. cum plures. 8. eod. in 6.*

Jurisdicção ab eo, vivo delegante, fundata, & aliis, eo, & mandatore mortuo, competit. *d. c. cum plures. 8.*

Fundatur hoc jure jurisdicção etiam solâ citatione. *c. gratum. 20. eod. c. 28. anteriorem. 2. qu. 6.*

Delegari possunt, & *principium*, & *medium*, & *finis causa. c. super questionum. 27. §. intentionis. eod.*

*Principium*; ut si citatio vel litis contestatio delegetur. *c. 28. pastoralis. eod. & d. c. super questionum. §. 1.*

*Medium*; ut si totius causæ examinatio, à tempore litis contestatæ, usque ad sententiam, committitur. *c. cum, te consulente. 19. & d. c. super questionum. 27. §. nos autem. & §. intentionis. eod.*

*Finis*; cum diffinitiva sententia, reservatâ executione, delegatur. *d. c. super questionum. §. verum.*

Debet delegatus mandati formam, si præscripta; *c. venerabilis. 37. eod. c. cum dilecta. 22. de rescript. si non; juris diligenter servare. c. ex parte tua. 13. & d. c. super questionum. de offic. deleg.*

Eo tamen ipso, cui aliqua causa committitur, & plena ei tributa censetur potestas, super omnibus quæ ad ipsam causam pertinent, & omnium sine quibus officium suum exercere non potest; licet delegationis literæ hoc non contineant: ut partes compellere & severitate Ecclesiasticâ contumaces coërcere possit; *c. praterea. 5. c. suspitionis. 39. eod. si nulla à jure in eos qui judicio ipsius parere contemnunt, poena statuta; eam arbitrio suo pro delicti & causæ qualitate statuere, c. de causis. 4. in fin. eod. alio, quàm in mandato expressus, loco, mandatum executioni mandare, necessariâ aut probabili ratione hoc suadente. c. statuimus. 13. eod. in 6.*

Si Delegatus, qb absentiam suam, causam aliis delegaverit, Subdelegatus & eo mortuo (cum & tunc abesse censeatur) eam, si Delegato vivente jurisdictione uti cœperit, definire potest: ut & si ipsi vices demandatæ, donec Delegatus eas duxerit revocandas. *c. si delegatus. 7. eod. in 6.*

Potest enim Delegatus re adhuc integrâ, mandatum quo causam alii delegaverit, pro arbitrio revocare; *c. quamvis. 6. eod. in 6. &*, illo defuncto, causam resumere. *d. c. quamvis. 6.*

Delegatus Papæ potestatem habet non solum in partes, sed etiam in alios, qui Jurisdictionem suam impediunt; etiam si se sint multò superiores. *c. 1. & c. sanè quia. 11. eod.*

Potest etiam Subdelegatum, nisi malitiosè se exoneret, ad causam suscipiendam compellere: in coactione tamen dignitatis & personæ ratione habitâ. *c. pastoralis. 21. eod.*

Sententiam à se latam exsequitur; etiam usque ad annum: Delegatus Ordinarii, sententiam suam non exsequitur, sed ipse Ordinarius; licet sententiam sciat esse injustam. *d. c. pastoralis. §. quia verò. c. quarenti. 26. c. significasti. 7. eod.*

Sententia diffinitiva, ubi executioni mandata, expirat Delegati jurisdictione. *c. in literis. 9. eod.*

Sed & ea aliis modis finitur; ut *revocatione, morte, impedimento, temporis lapsu, contrario rescripto, refusalione.*

*Revocatione*; ut, cum Delegans, re integrâ, id est, antequam Delegatus jurisdictione mandatâ uti cœpit, mandatum revocat. *c. quamvis. 6. eod. in 6.*

*Morte*; ut si re integrâ, Delegans, aut Delegatus, aut is qui rescriptum impetravit, aut is contra quem impetratum, decedant. *c. significavit. de rescript. & ibi Gl. & Dd. c. caterum. de rescript. Gl in c. in literis. 9. c. licet. 30. de off. jud. deleg.*

Impe-

*Impedimento*; ut si Delegatus, impedimento aliquo, sive juris; ut, *quia infamis, c. sciscitatus. 13. de rescript. c. 1. 3. qu. 7. &c.* sive facti, ut, *quia infirmus*; Delegationis negotio interesse impediatur.

*Temporis lapsu*; ut, si dies, intra quem causa ex mandati forma debuerat terminari, sit lapsa, nec à partibus prorogata. *c. de causis. 4. in princ. de offic. deleg.*

*Contrario rescripto*; puta si in eo prioris expressa fiat mentio. *c. caterum. 3. de rescript. Gl. in d. c. in literis.*

*Recusatione*; cum iudex datus, (idem & hoc jure, in Ordinario, *c. 4. de foro comp. c. cum speciali. 61. in princ. de appellat.*) ab altero litigatorum, non ex sola suspicione, ut jure Civili; *l. apertissimi. 16. l. ult. C. de judic.* sed iusta suspitionis causa, removeri postulatur. *d. c. 4. c. inter monasterium. de sent. & re jud. d. c. cum speciali. vide infra de recusat. tit. 36.*

Iurisdictio Iudicis Delegati, si expirat in termino peremptorio, quem partibus adsignavit, post congruam peremptorii horam, contumacem non exspectabit; si non expirat, potest exspectare in diem alteram, & iterum citare. *c. consuluit. de offic. judic. deleg.*

*De in jus vocando.*

TIT. III.

**D**Iximus in genere de judiciis, & ejus occasione de Iudice: restat, ut explicemus iudicii preparatoria, principium, media, finem.

*Preparatoria iudicii futuri sunt, in jus vocatio, libelli oblatio, reconventio, seu mutua petitio.*

Primò agendum de *in jus vocando*; seu *Citationibus*; quia eæ omnium iudiciorum instituendorum sunt fundamentum; utpote sine quibus omnia, quæ in negotio aut loco adversus absentes aguntur, viribus careant. Nam neque civilis, neque naturalis ratio quenkquam indefensum iudicari permittit. *Gloss. pen. can. Ecclesia Sancta Maria. 10.*

*ria. 10. de constitut.* Unde nullo modo tolli possunt. *Clem. pastoralis. de sent. & re judic. ubi Dd.*

Est *citatio*, actus judicialis, seu iudicii præparatorius, quo is, quem coram fisci opus est, Iudicis mandato legitime vocatur, juris experiundi gratiâ.

Partes ejus sunt tres; *Præceptio Iudicis*; c. 1. §. *contractantes. de foro comp. in 6. Marant. in spec. aur. c. de citat. num. 51.* de qua debet apparere; non enim præsumitur: *Felin. ad c. quoniam. de probat.* nisi alia sit consuetudo: *Corn. consil. 95. lib. 4. Verbalis citatio*; quam Nuncius exequitur; & ejusdem nuncii relatio. *Marant. d. loc. num. 55. Felin. ad c. gratum. col. 3. de off. deleg.*

Quæ ex actis apparere debet; alioqui Citatio nullius momenti est. *Specul. de citat. §. sequitur. num. 11.*

Nuncio hac in re creditur, utpote jurato, & de suo officio testificantem, donec contrarium ostendatur. *Gl. 2. in c. cum à nobis. 21. de testib.*

Est Citatio *vel Iuris*, *Clem. 2. de poen.* cum Lex, vel Canon, certum dierum terminum, intra quem quis ad actum aliquem exercendum se iudicio debeat sistere, vel adesse statuit: *ut in c. 1. & c. quam sit. 6. vers. cupientes. de elect. in 6. in c. quamvis. de offic. ordin. c. 1. de appell. in 6. Vel Hominis*; cum mandato Iudicis in jus vocatur. *ut in c. cum dilecti. 6. de dolo & cont. c. veniens. 15. de accus.*

Utraque vel est *Generalis*, qua quicumque sua interesse putaverit, negotio ut adsit, & in jus veniat, admoneatur, *ut in c. 1. de election. in 6. Host. & Innoc. in c. dilecti. de except.* Vel *Specialis*, qua persona certa, & vocandi causa exprimitur.

Hæc est vel *Verbalis*, eaque aut *Publica*, aut *Privata*; vel *Realis*.

*Verbalis* est, quæ fit verbo; *Publica*, cum publicè, affixis citationis literis, *Felin. in c. quoniam. §. porro. Ut lite non contest.* (*Edictalis* dicitur) aut per præconem, campanam, vel tubam; *Marant. part. 6. cap. de citat. num. 98.*

*Privata,*

*Privata*, cum quis privatim per nunciū, partem, vel Notarium, ad domum citatur. *arg. c. Circumcelliones. 23. qu. 5. & c. cum parati. 19. de appellat.*

*Realis est*, cum fit personæ citandæ apprehensio. *c. se clericus. 15. de sent. excomm. in 6.*

*Edictalis citatio* tum demum fieri potest, si quis alio modo citari nequeat; *c. causam qua. 3. de dolo & contum. Clem. 1. de jud.* ut si citandus per se, vel per alios efficiat, ne citatio possit ad se pervenire; *d. Clem. 1. & c. ex tua. 11. de cleric. non resid. c. Romana. 1. §. contrahentes. de foro compet. in 6.* si locus ubi citari debet, non est tutus; *d. Clem. 1. c. statuimus ut is. 13. de offic. deleg. in 6. Clem. un. de foro comp. Clem. causam. 3. §. verum. de election. si citentur omnes quorum interest. c. fin. de elect. in 6. Felin. d. c. quoniam. §. porro.*

Fieri debet in locis vicinis; *d. Clem. un. & c. ubi periculum. 3. §. porro. de elect. in 6.* in locis remotioribus affixa citatum non arctat. *d. Clem. causam. §. fin.*

Vicina loca intelliguntur, quæ domicilio citandi ita vicina sunt, ut verisimiliter citationis notitiam habere possit. *l. dies cautioni. 4. §. toties. 6. ff. de damno infect.*

Fit omnis citatio jussu Iudicis, per apparitorem, ad instantiam & postulationem litigatoris; citra quam Iudex neminem citare debet in causis privatis, *c. significasti. 18. verb. petitionem. de foro comp.* potest in publicis. *c. qualiter. 24. de accus. Socin. de citat. art. 6. num. 2.*

Citare possunt, sed non extra locum, ubi judicare tenentur; *c. fin. §. conservatores. & c. statutum. 11. §. in nullo. de rescript. in 6.* Iudices Ordinarii; & Delegati, *c. 1. de caus. poss.* Non tamen hi per Edictum; Nisi hoc aut ex consuetudine, aut speciali concessione habeant. *c. cum contingat. 13. in fin. de foro compet. ubi Gl. in verb. vel consuetudine. c. dilecti. 4. de arbitr. ubi Gl. in verb. consuetudinem. Gail. 1. obs. 57. num. 13.*

Citari debent omnes quorum interest, quorumque causa agitur: *Marant. d. loc. num. 2. 3. 4.* præsentis per-

fonaliter, absentes ad domum habitationis. *c. causam qua.*  
*3. de dolo & contum. ubi Gl. in verb. ad domum. & com-*  
*mun. Canonista.* Non tamen, nisi veniâ prius impetratâ,  
 personæ quibus reverentia debetur; sub pœna quin-  
 quaginta aureorum. *c. 58. Episcopus, qui mancipium. 12.*  
*qu. 2.*

Citatio facienda non modo in singulis causis, sed sin-  
 gulis etiam causarum actibus & partibus expediendis; si  
 quidem in iis cognitione opus sit. *c. 1. de caus. poss. c. in-*  
*ter. de major. & obed. Clem. postoralis. de sent. & re jud.*

Certis tamen casibus ad totam causam fieri potest cita-  
 tio, ut si fiat ad locum remotum: non si ad propinquum.  
*c. cum dilecti. 6. de dolo & contum. ubi Panorm. num. 5. &*  
*c. auditis. 8. num. 7. de procur. c. tum ex literis. 5. §. fin. de*  
*in int. rest. ubi Gl. in verb. locorum distantiam.*

Citatio ut valeat, debet committi à Iudice, *c. ex parte.*  
*33. de rescript. Felin. in c. 1. de judic. competente; d. Cl.*  
*Pastoralis. Panorm. in c. praterea. 2. num. 16. de dilat.*  
 eam nuncius, juxta præscriptum suæ commissionis, exle-  
 qui; *c. venerabili. 37. de off. deleg. d. c. cum dilecti.* in per-  
 sonam, si illa haberi & inveniri potest; si non, ad domum,  
 aut affixâ citationis scripturâ.

Ea continere debet; 1. *Nomen Iudicis citantis;* 2. *Nomen*  
*& cognomen ejus qui citatur.* 3. *Illius ad cujus petitionem*  
*fit.* 4. *Causam propter quam fit citatio.* 5. *Locum judicii.*  
 6. *Diem & terminum comparendi.*

*Nomen Iudicis citantis;* ut citatus possit cognoscere,  
 utrum à competente iudice sit citatus; citatio jussu iudicis  
 sit facta; iudex sit delegatus, an Ordinarius.

Delegati enim citatio, ad hoc ut citatum ad compa-  
 rendum arctet, non valet; nisi literas, tenorem com-  
 missionis suæ continentes, inseruerit. *c. cum in jure. 31.*  
*de offic. deleg. & Innoc. num. 4. Panorm. num. 5. Felin.*  
*num. 5.*

*Nomen & cognomen citandi* exprimi debet: ut æquivo-  
 catio evitetur; ut citatus cognoscat, utrum citatio ipsum  
 concer-

concernat; ut actor amplius variare nequeat. *c. cum in multis. 2. in fin. de rescript. in 6. ubi Gloss. in verb. quorum. & verb. nomina. c. pastoralis. 13. c. significante. 34. de rescript.*

*Nomen & cognomen citantis*, ut citatus de eo qui ipsum citari curavit, sit certus, ad hoc ut deliberare secum possit, an contendere vel cedere velit: *c. fin. de rescript. ubi Gl. in verb. ejusdem nominis.* ut intelligere queat, citationem non ex officio Iudicis, sed ad instantiam citantis, esse factam. *vid. Panorm. in c. prout. 4. n. 9. de dolo & contum. & in c. pen. n. 2. 4. de foro compet. Ratio est in c. bona memoria. 3. de post. pral. & Gl. ibid. in verb. curavimus.*

*Causa ob quam quis citatur*, exprimenda, ut super quo convenitur, se possit instruere. *c. praterea. 2. de dilat. ubi Gl. in verb. plenè potuit. c. cum dilecti. 6. de dol. & contum. ubi Gl. in verb. quadam. Clem. 2. ut lite pend. & ibi Gl. in verb. plenè.*

*Locus iudicii* exprimi debet, ut intelligere citatus possit, an Iudex fines jurisdictionis excedat; *c. statutum. 11. §. in nullo. de rescript. in 6. c. pen. de off. Vicar. an locus, ut esse debet, si tutus, Clem. pastoralis. §. notorium. de sent. & re jud. c. accepimus. 6. de fid. instr. ubi Gl. verb. securo. c. ex parte. 47. de appell. c. accedens. 2. ut lit. non cont. c. cum persona. 7. de privil. in 6. non pestiferus. Gl. in Clem. 1. §. sanè prioratus. in verb. rationabilis. de statu monach. Felin. d. c. accedens. 2.*

Sed hoc intellige de citatione Iudicis Delegati; non Ordinarii; quia certum tribunal habet. *Philip. Franc. in c. cum parati. 19. de appell.*

*Dies & terminus comparendi* debet exprimi; ut citatus sciat, an dies juridica sit, an feriata; ad quam comparere non tenetur; sed demum die sequente: *c. cum dilecti. 6. de dol. & cont. ubi Panorm. num. 4. & in c. veniens. 15. de accusat. num. 5.* an sit congruus, ut ad locum destinatum pervenire commodè possit. *d. c. cum dilecti. 6.*

Fieri debet citatio tribus Edictis, intervallo decem dierum discriminatis; vel uno peremptorio, tantum temporis, quantum tria Edicta, continente; si quidem id sit necessarium; puta propter viarum distantiam; vel res celeritatem desideret. *c. tum ex literis. §. §. fin. de in int. rest. c. cum dilecti. 6. de dol. & cont. c. 1. de dilat.*

Quod tempus peremptorium Iudex non nisi ex justa causa, in citatione exprimenda, *Abb. in c. 1. in ult. not. de dilat. Lansfr. in c. quoniam. in verb. citationis. vers. sed quaro. de probation. Innoc. in c. ad petitionem. 22. de accus. abbreviare potest, aut debet. Dd. in c. 1. de dilat.*

Citatione facta legitime, reus in iudicium debet comparere, & causam suam defendere; *c. proposuisti. 19. de de foro compet. non tenetur si illegitime: c. fin. de feriis. Gl. in c. de causis. 4. §. illis. in verb. venire. de offic. deleg. & in c. veniens. 15. in verb. propter. de accus. Felin. in c. illud. de presunt. Convalidatur tamen ea citatio, si id sponte faciat. Clem. causam. §. fin. de elect. Felin. in c. illud. 8. num. 8. de prescript.*

Nonnunquam, etiam legitime citatus comparere non tenetur; ut si spoliatus, nec restitutus; *c. 1. & c. 6. prius ergo. 3. qu. 2. si facto adversarii impeditus; ad majus Tribunal vocatus; vinculis, aut infirmitate detentus; aut aliis similibus causis implicatus. c. quoniam. §. §. si autem de carnali. ut lite non contest. Impedimento tamen cessante, sui copiam iudici, quanto citius potuerit, facere debet. c. cum dilecti. 6. de dolo & contum.*

Qui citatos ad Curiam Romanam, ne sedibus convenientibus ibi se sistere possint, detinent; & qui citati, ne ibi tempore statuto venirent, se capi curant, beneficiis Ecclesiasticis privantur. *Clem. multorum. 2. de poenis.*

Operatur citatio praevencionem: *c. proposuisti. 19. ubi Socin. de foro comp. Gl. in Clem. 1. de judic. perpetuat iurisdic-*

risdictionem, *c. gratum. 20. c. relatum. 19. de offic. deleg. Clem. 2. ut lite pend. & actionem; d. c. gratum. 20. cum seq. Clem. 1. & 2. ut lit. pend.* suspendit Iudicis potestatem per intervallum termino datum; *c. cum inter. 16. de elect.* inducit litis pendentiam.

Litem pendere dicimus, postquam à Iudice competente citatio emanavit & ad partem citatam pervenit, vel per eam factum fuit, quominus ad notitiam ejus pervenerit. *Myns. cent. 4. obs. 26. per Clem. cum lite. ut lite pend.*

### De foro competente.

#### TIT. IV.

**V**Ocari Reus, ut supra diximus, debet ad *Iudicem suum competentem.*

Actor enim sequi debet forum Rei. *c. cum sit. 8. c. si clericus. 5. hic. c. 15. experientia. 11. qu. 1.*

*Forum*, est locus vel sedes, in qua lites & controversiæ judiciales exercentur. *c. forus. 10. de verb. signif.*

Illud quis fortitur, vel *ratione domicilii*, vel *privilegii*, vel *rei controversæ situs*, vel *delicti*, vel *contractus*, vel *causæ*, vel *continentiæ*, & *causarum affinitatis*.

*Ratione domicilii*, originis, si ibi reperiatur; *Canon. Dd. in c. fin. hic.* habitationis, *c. cum sit generale. 8. eod.* si ibi reperiatur, si non: *Gloss. in c. causam. 3. in verb. ad domum. de dol. & cont. &* licet domicilium post iudicium coeptum immutetur. *text. & Gl. in c. proposuisti. 19. verb. prævencus. hic.*

*Ratione privilegii*, Clerici etiam in minoribus ordinibus constituti, *c. 2. eod. ubi Dd. c. clerici. 8. de judic.* regulariter coram Iudice Ecclesiastico tam à Clerico quam Laïco conveniri debent: *c. cum nobis ab homine. 10. de judic. c. cum sit generale. 8. c. si diligenti. 12. c. cum contingat. 13. hic.* nec ei possunt tunc renunciare. *d. c. si diligenti. 12.*

ti. 12. §. fin. ubi Gl. in verb. manifestè c. significasti. 18. in verb. Clerici. eod.

Forum tamen seculare nonnullis casibus sortiuntur, ut, si lis sit de feudo. *d. c. si diligenti. §. fin.* tum enim conveniri possunt coram Iudice Laïco, puta feudi Domino, aut Curia paribus: *c. verum. 7. c. ex transmissa. 6. hic. c. caterum. 5. de Iudic.* Si res, de qua inter Clericum & Laïcum quaestio, sub Iudice Laïco sita: *c. fin. hic. Socin. in c. sanè si Episcopi. 3. n. 3. eod.* Si super possessorio vel quasi agatur: *Guid. Pap. decis. 1. num. 1. & 2. Covar. resol. pract. cap. 35. cum seq.* Si Clericus ratione officii, ut quia tutor, curator, procurator Laïcifuit, conveniatur: *Socin. ad rubr. hic. num. 1. & 15. & in c. 1. eod. num. 52 cum seq.* Si Laïco in lite succedat *Panorm. & Felin. in c. quia. de jud. Boër. decis. 69. per c. proposuisti. 19. hic. vid. Gail. 1. obs. 37.*

*Ratione rei controversæ* forum quis sortitur, ubi ea sita. *c. fin. hic. c. 6. ubicunque. 13. qu. 2.*

*Ratione delicti*, in loco ubi reperitur & deprehenditur. *d. c. fin. & ibi Canon. & præcipuè Panorm. num. 29. cum seq. & Socin. in c. postulasti. 14. eod.*

*Ratione contractus*, si ubi contraxit reperiatur. *c. 1. §. contrahentes. hic. in 6.*

*Ratione causarum*, quia causæ Ecclesiasticæ & spirituales in foro Ecclesiastico tractandæ: *c. contingit. 8. ubi Dd. de arbitr. c. si clericus. 5. c. quod clericis. 9. c. ex tenore. 11. hic. temporales, sive civiles, sive criminales, in foro seculari, c. licet. 10. eod. nisi secularis justitiam facere negligat: Socin. in d. c. licet. feudales in iudicio feudali. c. verum. 7. c. ex transmissa. 6. eod.*

*Ratione continentis causæ*, quia ea non est dividenda. *c. pen. de in int. rest. c. de prudentia. 3. & seq. de don. inter vir. & ux.*

Continentes causæ dicuntur, quæ communem iudicationis rationem habent, ut una sine altera non facillè possit definiri. *las. in l. nulli. 10. C. de iudic.*

Ad

Ad fundandum iudicium sufficit allegasse causas & qualitates jurisdictionem tribuentes, etiam non sint veræ, modo de falsitate evidenter non constet. *Felin. inc. si Clericus Laicum. §. n. 2. hic. Myns. cent. 1. obs. 9.*

### De Pactis.

#### T I T. V.

**A**D forum competens vocati, quia nonnunquam, iudiciorum metu, ad *pacta & transactiones* veniunt, aut ad *arbitros* declinant, paucis de iis & pro ratione instituti nostri, videamus.

Pactum, hoc jure, *c. pactum. 11. de verb. signif.* dicitur, inter partes ex pace conveniens scriptura, vel sine ea, *Gl. in d. c. pactum. verb. scriptura.* legibus ac moribus comprobata sententia.

Pacisci de rebus Ecclesiasticis possunt ii, quibus eas sine consensu Capituli vel superioris Prælati, alienare concessum. *c. fin. hic. in 6.*

Pacisci potest de dignitatibus, prælaturis, & omnibus beneficiis, tam curatis quam non curatis: de rebus quæ in commercio sunt, sive sint præsentis, sive absentes; modo ex earum conventionem nec *periculum animæ*, nec *turpitudinem*, nec *impossibilitas*, nec *Ecclesiæ damnum* inferatur: tunc enim pacta non valent.

*Periculum animæ* inferitur, si pacto beneficium pro pecunia resignetur; quia committitur simonia. *c. cum pridem. 4. hic.* si fiat de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia; *c. accepimus. §. eod.* aut aliis spiritualibus obtinendis. *c. fin. eod.*

*Turpitudinem* inferitur; cum quis promittit se crimen aliquod commissurum, aut de crimine commissum non acturum. *c. 8. unusquisque. c. 5. in malis promissis. c. 12. non semper promissa. c. 17. diffinitio. c. 20. si ad peccatum. c. 21. mulier. 22. qu. 4.*

*Impossi-*

*Impossibilitas*; cum rei in pactum deductæ commercium per rerum naturam haberi non potest. *c. fin. hic.*

*Ecclesiæ damnum* infertur; cum quid Ecclesiæ redditibus detrahitur, vel ei gravamen adjicitur, vel aliquod præjudicium fit. *c. plerique. 7. eod. c. 42. si quis Laicus. 16. qu. 1.*

Cætera pacta, etiam nuda, quæ hæc vitia non incurrun, hoc jure obligant, & ad agendum & excipiendum sunt efficacia; *c. 66. quicumque. 12. qu. 2. c. 1. & 2. hic. c. 8. puella. 20. qu. 1. c. 23. innocens. 22. qu. 4. c. 30. Eleutherius. 18. qu. 2.*

Nisi conditio pacti defecerit; *c. pervenit. 3. & c. sicut. 29. in fin. de jurejur.* Pontifex ex causa à promissione absolverit; *ut in c. 2. auctoritatem. c. 3. alius. & c. 4. nos sanctorum. 15. qu. 6. c. 2. de voto.* qui pactum vult impleri, ex sua parte non impleverit. *d. c. pervenit. d. c. sicut. §. fin. c. quemadmodum. 25. de jurejur.*

Derogant etiam pacta Apostolicis privilegiis & indulgentiis in favorem paciscentium & renunciantium; *c. ex multiplici. 3. de decimis. c. Clem. dudum. 2. de sepult.* nocent tantum paciscentibus, non aliis; *c. praterea. 8. de censib. c. veniens. 8. c. de catero. 5. de transact.* nec faciunt præjudicium superioribus.

Semper enim in omni pacto & juramento excepta censetur superioris auctoritas. *c. venientes. 19. ea te credimus. 22. de jurejur. c. constitutus. 19. de rescript.*

### De transactionibus.

#### T I T. VI.

**T**ransactio, est rei dubiæ & litis incertiæ, neque finitiæ, aliquo dato vel remisso, conventa decisio.

Transigere de rebus Ecclesiasticis possunt, qui pacisci; ut Prælati, sed cum consensu Capituli, Superioris. *c. contingit. 3. c. de catero. 5. c. veniens. 8. hic.*

Transi-

Transigi de rebus temporalibus & spiritualibus, de quibus lis est, vel futura esse possit; *c. super eo. 7. eod.* ita tamen, quoad has, si ut proprietates in litigium deducantur. *c. ad quaestiones. 6. de rer. permut. c. statuimus. 2. hic.* (Et res propriè amicabiliter componi dicitur. *d. c. super eo.*) Non si ut pro rebus spiritualibus dentur temporales, *c. praeterea. 10. c. super eo. 7. eod.* aut quidem spirituales, sed ut quis ad beneficium Ecclesiae recipiatur, vel praefatur. *c. ex frequentibus. 3. de instit. c. admonet. 4. de renunc. c. 11. nullus omnino. 16. qu. 7. cum utraque in vitium simoniae recideret. dd. cc.*

Habet transactio, hoc jure, similem firmitatem, quam pactum. *c. 1. hic.*

### De arbitris.

#### TIT. VII.

**A**rbitri hoc loco sunt, qui nullam potestatem in eligentes habentes; consensu litigantium in Iudices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententiae stetur. *c. à iudicibus. 33. in princ. §. 1. 2. qu. 6.*

Sunt vel *Ordinarii Arbitri*, vel *simpliciter Arbitri*, seu *Arbitrarii*.

*Ordinarii* sunt, qui potestatem quidem habent iudicandi; sed non in eos, qui suae se jurisdictioni subjiciunt ad iudicium accipiendum, eos eligendo. *d. c. à iudicibus.*

*Arbitrarii tantum* sunt, qui aliunde nullam legitimam potestatem acceperunt, quam à compromittentibus, ad iudicandum de quaestione quam inter se habent, eos eligentibus. *c. si quis Episcopus. 36. §. arbitrarii tantum. 2. qu. 6. c. pervenit. 3. hic.*

Compromittere in Arbitros possunt, qui nominatim non prohibentur, & qui liberam rerum suarum habent administrationem.

Compromitti potest in omnes, qui specialiter non prohi-

prohibentur, cujuscunque sint dignitatis vel æstimationis.

Parvi enim refert, sint integræ famæ; an ignominiosi; *c. infames. 2. §. cognitores. 3. qu. 7.* in potestate eligentium, an extra; *d. c. infames. §. filius.* libertini, an ingenui; magistratus an privati; modò specialiter in eos compromitti non prohibeatur.

Prohibetur in servos; *c. infamis. 1. §. tria. 3. qu. 7.* mulieres; *c. dilecti. 4. hic.* quæ jurisdictionem in subditos non habent: *d. c. dilecti. fac. c. 7. Mennam. 2. qu. 5. c. 8. cum devotissimam. 12. qu. 2.* manifestè, *fac. c. ad probandum. 24. de sent. & re jud. c. exceptionem. 12. de except.* (non occultè, *c. un. ut Ecclesiast. benef. sin. dim. conf.*) excommunicatos; monachos; maximè sine superiorum licentia; *arg. c. 20. de presentium. 16. qu. 1. & ibi. Gl. judicem ordinarium* ea de re de qua cognoscere cœpit; *d. c. infames. §. si quis verò judex.* aliàs potest: *c. quis membrorum. 23. qu. 8. c. si primates. 5. qu. 2.* in laicum (nisi cum clerico, *c. per tuas. 9. hic.*) de rebus spiritualibus; *c. contingit. 8. hic. c. causam. 7. præscript. c. tua nobis. 26. de decim. c. 2. de jud.* nisi auctoritate Papæ, vel Superioris, vel Delegati, *c. 6. præter. §. verum. & ibi Gl. 32. dist. c. per tuas. 9. hic.* omnino de rebus Ecclesiæ temporalibus *d. c. contingit. 8. & ibi Can.*

Compromitti potest de omni controversia, *c. fin. de transact.* nominatim non prohibita.

Talis est, super beneficio; *c. non sine. 2. de arbitr. c. 21. nisi essent. de præb. decimis; c. cum Apostolica. 7. de his que fiunt à Præl. sin. cons. cap. electione; c. cum dilectus. 32. c. cum in jure. 33. de elect. matrimonio; c. causa restitutionis. 9. §. fin. de rest. in int. statu personæ; d. c. causa restitutionis. crimine famoso; d. c. causa restitutionis. vid. Dd. ad. c. Quintavallis. 23. de jurejur. re Ecclesiastica, in præjudicium Ecclesiæ; c. cum tempore. 5. hic. ubi Panorm. causa jam sententiâ legitimi judicis sopita; aut dubiis ex ea sententia provenientius, quæ*

quæ sententiam possent pervertere. *c. exposita. 11. hic.*

Eligi in arbitros possunt, unus, vel plures; sed numero potius impari, quam pari: *c. 1. hic.* propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem; *l. item si unus. 17. §. 6. ff. de recept. qui arbitr.* ut ortâ dissensione plurium sententia prævalere possit, *c. 1. hic. in 6.*

Nam alii absque aliis, licet discrepare sententiis possint, *d. l. item si unus. 17. §. 4. cum l. seq. d. c. 1. hic. in 6.* nequeunt arbitrari.

Nisi in compromisso sit adjectum, ut, si unus vel alter abesset, reliqui nihilominus procederent; *c. uno delegatorum. 42. de offic. jud. deleg. l. non. distinguemus. 32. §. cum in plures. 13. ff. de recept. qui arbitr.* aut nisi absens legitime requisitus causæ cognitioni aut definitioni adesse nolit. *c. 2. hic. in 6. contra l. item si unus. 17. §. fin. ff. eod.*

Si compromissum sit in duos, & dissentiant, tertium concorditer eligere possunt. *ut in c. suspicionis. 39. de offic. deleg.*

Quod ut possint, etiam compromisso inseri potest: modo certa & nominata persona exprimatur; non incerta. *c. innotuit. 12. hic.*

Compromisso, ut arbitrium teneat, vel pœna adversus non servantem, vel juramentum de servando debet adji-  
ci; *c. 2. per tuas. 9. hic.* licet & nudum pactum sufficiat. *c. 1. de pact.*

Tenentur arbitri arbitrium in se compromissum recipere, nec illud sine peccato renunciare possunt; si quidem sint liti judicandæ idonei. *c. 30. sicut enim. ubi Gl. ad verb. usum. 11. qu. 1. per c. precipimus. dist. 20.*

Possunt tantum de his judicare, super quibus in eos fuit compromissum. *c. cum dilectus. 6. hic.*

Eorum sententia, sive æqua sit, sive iniqua, ab utraque parte, *c. 2. in fin. hic. c. si quis Episcopus. 36. §. arbitrarii. 2. qu. 6.* appellatione remotâ, *c. 2. hic. c. à judicibus. 33. & c. seq. 2. qu. 6.* servari debet: Nisi contineat peccatum per partes non remissibile; *d. c. 2. hic.* ut simoniam;

L

ut ibi.

ut ibi. & c. cum pridem. 4. de pact. c. praterea. 9. & 10. de transact. aut illicitum præceptum; ut puta filium exheredari, uxorem dimitti; c. Quintavallis. 23. de jurejur. c. 3. hic. aut si contra formam juris, vel compromissi, sententia sit dicta; c. examinata. 7. de confirm. util. vel inutil. c. cum olim. 7. hic. c. cum in veteri. 52. de elect. aut contra prius rem judicatam. c. exposita. 11. hic.

Si ex pluribus arbitris pares numero, diversas dicant sententias, eorum sententiæ non necesse stare; major tamen pars si in unam conveniat, ei, ne pœna committatur, stari debet. c. fin. §. fin. de re jud. c. 1. hic.

Compromisso pendente, judicis Ordinarii jurisdicctio & cognitio, etiam in causa principali & appellationis, Clem. quamdiu. 3. de appellat. suspenditur.

Per arbitrium comprobatum & homologatum lis finitur. l. ne in arbitris. 4. C. de rec. arbitr. vid. Anchar. in c. 1. de lit. contest. in 6.

Tempus compromissi, in tempore alioqui litis finienda, vel appellationem prosequendi, vel testes audiendi, non computatur: d. Clem. quamdiu. quia nulla est negligentia in eo, & ideo nulla pœna. c. quia diversitatem. 5. de concess. prob.

Acta coram Arbitris, fidem faciunt coram Iudice. c. causam. 11. c. presentata. 50. de testib. & attestat.

Arbitrorum potestas finitur; Morte omnium vel alterius ipsorum; c. ex parte. 10. hic. Morte litigantium, aut alterius; c. fin. eod. Lapsu temporis compromisso inserti; l. quid tamen. 21. §. si cum dies. 5. l. arbitr. ex compromisso. 50. ff. de recept. qui arbitr. sententiæ prolatione; definitivæ puta; l. qualem. 19. §. 1. ff. eod. & aliis modis. de quibus consule Specul. tit. de arbitris & arbitrat. §. finitur.

*De postulando.*

## TIT. VIII.

**Q**UOD si neque pactionibus, neque transactionibus, neque compromissis res componi potuerit, partes vel per se, vel per patronum, Iudicem accedunt, & desideria sua exponunt: quod dicitur postulare.

Est enim *postulare*, desiderium suum, vel amici sui, in jure apud eum qui jurisdictioni præest, exponere, vel alterius desiderio contradicere. *c. infames. §. est autem. 3. qu. 7.*

Postulare possunt omnes, qui aut Edicto, aut Lege, aut sententiâ Judicis, aut Canone non prohibentur.

Canone prohibentur postulare Clerici regulares; nisi pro utilitate Ecclesiæ, vel sui monasterii, & præcepto Abbatibus: *c. ex parte. 2. hic. c. 8. placuit. 16. qu. 1.* Prælati Ecclesiarum secularium, *c. 3. quia Episcopus. 5. qu. 3. ratio in c. 4. perlatum. dist. 88. c. 16. denique. 14. qu. 5. c. 29. te quidem. 21. qu. 1. excommunicati. c. intelleximus. 7. de judic. c. decernimus. 8. de sent. excom. in 6.*

Alia quæ huc pertinent, & Iuri Canonico non sunt propria, sed ex Iure Civili desumpta, ut patet ex *d. c. infames. 2. per tot.* in Aphorismis nostris ad Digesta, & (quos brevi publici juris facturi) ad Codicem ad hunc titulum latius explicavimus.

*De procuratoribus.*

## TIT. IX.

**P**OSTULATIONI valde affinis est *procuratio*; quapropter hunc titulum de *procuratoribus* titulo de postulando subnectimus; in quo idem faciemus, quod in præcedenti: nempe ea quæ hujus Iuris maximè sunt propria, referemus; quoad alia, quæ cum Iure Civili habet communia, ad Aphorismos, ad Digesta & Codicem, lectorem remittentes.

*Procurator* est, qui aliena negotia mandato Domini, aut Prælati, alteriusve Clerici, Domini vicem gerentis, *c. 1. & passim. hic. c. olim causam. 12. de rest spoliat. administrat.*

Negotia intellige judicialia; in quibus procurator ad lites dicitur. De quo nobis tantum hic sermo.

Talis constitui potest omnis, qui specialiter non prohibetur.

Prohibetur hoc jure, Excommunicatus, *c. intelleximus. 7. de judic. infamis*, si detur pro personis Ecclesiasticis; non si pro laïcis: *Panorm. in c. Imperatorem. 4. num. 9. de juram. calumn.* Monachi & Clerici tam Regulares, quam Seculares in quolibet gradu constituti, in temporalibus; non in spiritualibus: *c. un. de synd. c. sed nec procuratores. 4. ne cler. vel monach. minor viginti quinque annis. c. qui generali. 5. §. fin. hic. in 6.*

Constitui potest procurator, tam in causa spirituali, ut *in c. cum venissent. 2. de in int. rest.* quam civili: imo & criminali si civiliter ad pœnam agatur; *c. veniens. 15. cum seq. c. super his. 16. de accusat. c. tua fraternitati. 5. hic. c. 1. ut lite non cont.* non si criminaliter. *d. c. veniens. 15. de accusat. d. c. tua fraternitati. c. 40. si quando. 2. qu. 6. c. 2. in criminalibus. 5. qu. 3.* Nisi in crimine injuriarum, & persona sit illustris; *c. 18. absens. vers. nisi. 3. qu. 9. & suspecti Prælati accusatione. sec. Innoc. in c. veritatis. 8. de dolo & cont.*

Constitui possunt unus, vel plures: ita tamen ut non seorsim singuli, sed omnes simul gerant, præterquam si in solidum sint dati: tum enim melior est conditio occupantis, lite puta per eum contestatâ; nisi mandato aliud contineatur. *c. si duo. 6. hic. in 6.*

In causis tamen spiritualibus; ut *electionum, postulationum, provisionum, &c.* cum hæ celeriores desiderent expeditionem, ex pluribus procuratoribus non in solidum datis iudex magis idoneum potest eligere. *d. c. si duo. §. fin.*

Duo

Duo procuratores diverso tempore si dentur, posterioris datione prior revocatus censetur; nisi litem fuerit contestatus. *c. penult. hic.*

Constituitur procurator *consensu* Domini, vel Capituli (quod loco domini est), vel *expresso* (puta, per pactum, nuncium, literas), vel *tacito* (puta, si dominus præsens patiat rem suam agere); *in iudicio*, aut *extra illud*. *Clem. 1. hic.*

*In iudicio*, cum dominus mandatum actis insinuat; hoc est, literas procurationis parti, vel iudici dirigit, offert & mittit, & ad acta redigi curat: aut coram Iudice procuratorem eligit, ejusque personam confirmat, & quicquid ille gesserit, se ratum habiturum cavet. *Specul. in tit. de procur. §. ratione forma. num. 13. & 19.*

*Extra iudicium*, coram Notario & testibus; aut si is haberi non potest, literis, privato, vel publico sigillo consignatis.

Mandatum procuratorium continere debet, *nomen Iudicis, coram quo litigatur, constituentis, constituti, & ejus, contra quem, in qua causa, & ad quid* (puta an ad agendum, an defendendum) *constituitur, & quod Dominus id quod cum eo erit actum, ratum habebit: & potissimum, si à Reo detur, satisfactionem*, quâ dominus sub hypotheca rerum suarum procuratoris fidejussor iudicatum solvi existit. *c. accedens. 10. c. constitutis. 12. hic. c. Nicolao. 64. de appell. l. un. c. de satisfand.*

Procurator ad lites constitutus, alium substituere non potest; nisi litem sit contestatus, vel id mandato suo contineatur; *c. is qui. 3. hic. in 6. vel nisi in rem suam sit datus. d. c. 1. §. eod. 1. in 6.*

Ad lites intelligitur etiam procurator constitutus, qui generaliter ad negotia; non tamen ad actus, qui speciale desiderant mandatum; ut *juramentum deferre, transigere, pacisci. c. qui ad agendum. 4. cum. c. seq. eod. in 6.*

Omnia quæ procurator in iudicio facit, si de mandato appareat, nec illud sit extinctum, rata sunt; *c. 1. eod.*

potest enim domino & nocere & prodesse. *c. 2. de confess. in 6.* non tamen post revocationem.

Revocari ante litem contestatam semper potest: post, cum jam dominus litis factus, non, nisi volens; siquidem justa causa revocationem non suadeat.

Iusta causa est, si procurator sit suspectus, affinis, heres adversarii; valetudine aut aliâ re impediatur. *c. quamvis. 2. hic. in 6.*

Revocatio Iudici vel Adversario insinuari debet; alioqui, si eam hi ignorant, quæ gesta, rata habentur. *c. mandato. 13. c. in nostra. 4. hic. ubi Dd.*

Post conclusionem in causa si appareat procuratorem revocatum, nihilominus fertur sententia. *c. auditus. 8. eod.*

### De libelli oblatione.

#### T I T. X.

**S**Ive per se, five per procuratorem compareat Reus; Actor Reo, quid petat, coram Iudice exponere debet.

Quodfacere potest in causis summaris, & aliis nonnullis, quas enarrat Speculator *de libell. concept. §. in quibus.* verbo tantum, sine scriptura, per se, vel per Advocatum. *c. pastoralis. 14. de judic. Lanfr. in Clem. sæpe. de verb. signif. ad verbum libellus.* factum & quæstionem proponendo; in plenariis causis scripturâ, quæ libellus dicitur. *c. 1. hic.*

Est *libellus*, brevis scriptura, claram actoris petitionem, seu intentionem continens, contra reum necessario concludens. *c. fin. hic.*

Est vel *conventionalis* seu *postulatorius*; qui in Civilibus negotiis; *c. 1. & fin. hic.* vel *accusatorius*, seu *querimonia- lis*, qui in criminalibus datur. *c. 5. per scripta. §. libellorum. 2. qu. 8. c. 9. legum. 2. qu. 1.*

*Hic*, five crimen publicum prosequatur, five priva-  
tum

tum ; sive civiliter, sive criminaliter agatur: continere debet diem & annum ; nomen & cognomen accusantis & accusati, & Iudicis, coram quo accusatio fit ; crimen, & tempus, quo commissum fuit; cum inscriptione interdum. *c. tua fraternitati. 5. de procurat. d. c. 5. perscripta. §. libellorum. 2. qu. 8.*

*Libellus conventionalis* eadem fere continere debet: Nempe non solum agentis & conventi nomen, sed & judicantis, & petitiæ rei, *c. 2. hic.* & actionis qualitatem (nomen ut exprimatur non necesse. *c. dilecti. 6. ubi Dd. de judic.*); & si personali actione agatur, petendi causam. *c. fin. eod.*

Quæ requiruntur & *Rei & Iudicis gratia*: *Rei*; ut deliberare possit, contendere, an cedere debeat, *d. c. fin. c. pervenit. 5. de censib.* cui propterea certæ indulgentur induciæ, *can. induciæ. 4. §. offeratur. 3. qu. 5. Iudicis*; ut sciat, qualiter debeat formare sententiam; Ea enim secundum petitionis formam ferenda est. *c. qualiter. 24. §. debet. de accusation. c. examinata. 15. de judic. Clem. sepe. §. verum quia. verb. pronuntiatio. de verb. sign. ubi Gloss. Bald. in l. 1. C. si plures una sent. cond. & c. Ias. in l. 22. cum seq. ff. si cert. pet.*

Utrique proinde ab Actore libellus offerri debet, & quidem ultrò. *c. 1. hic. Specul. d. tit. §. restat videre. num. 1. & §. utrum. num. 4.*

Eo nullo existente, processus nullus redditur: *d. c. examinata. 15. ubi Felin. de judic. d. c. 1. ubi Can. hic.* rectè si conceptus, & Reo oblatus, si is respondeat, vel partem negaverit, partem autem defendendo confiteatur, lis censetur contestata. *c. un. de lit. cont. c. dudum. 54. de elect. c. prout nobis. 4. de dolo & cont.*

*De mutuis petitionibus.*

## T I T. XI.

**R**EUS conventus, si ei nulla suppetat exceptio, quâ iudicium vel differat, vel litis ingressum impediat, potest Actorem, quem vel ratione rei, vel alicujus negotii habet obligatum, vicissim apud eundem Iudicem reconvenire.

Cujus enim in agendo quis observat arbitrium eundem habere contra se iudicem in eodem negotio dedignari non debet. *can. 1. §. nullum. vers. cuius. 3. qu. 8. c. 1. & 2. hic.*

Est *reconventio*, mutua petitio, contra convenientem, vel agentem, in eodem iudicio constituta.

Est vel *Propria*; quæ ita ab initio instituta, ut pari passu cum conventionione procedat: *Socin. in Rubr. art. 1. num. 1. & in c. prudentiam. 2. num. 3. & num. 19. hic.* vel *Impropria*; quæ non ita instituta.

*Hæc* usque ad conclusionem in causa locum habet; *Marant. part. 4. dist. 6. num. 5. de ord. judic. Illa* antelitis contestationem, vel statim post; ut utraque petitio mutuâ vicissitudine, eodem ordine & formâ iudiciorum, simul tractari possit. *Gl. in d. c. prudentiam. 2. verb. eo modo. Gl. in Clem. sape. §. verum. verb. exordio. de verb. signif.*

Reconvenire regulariter quilibet Adversarium suum potest, coram eodem iudice, coram quo fit conventio: si-ve is sit Ordinarius, sive Delegatus: *c. dispendia. 3. de re-script. in 6. non Arbitro; c. cum dilectus. 6. de arbitr.* non iudice appellationis: puta tali, qui tantum de causa appellationis potest cognoscere; cum antequam pronunciet, dubium sit, an iudex sit inter partes. *c. ut debitus. 59. de appellat.* Omnino coram eo, qui cognoscit de pronuncia-tione, vel tali appellatione extrajudiciali in qua venit nego-tii principalis cognitio; ut cum super huiusmodi provi-sione appellatur; *c. statumus. 1. de election. in 6. quia cer-tum,*

tum, eum partium esse iudicem; *c. 1. accusatores. §. nulum. vers. cuius in agendo. 3. qu. 8.* talis enim appellatio est citatio ad causam.

Fieri potest *reconventio* in omni causa, siue in rem siue in personam agatur; nisi iure prohibeatur. *d. Clem. saepe. c. 1. & 2. hic.*

Prohibetur; in causis criminalibus; *c. 1. neganda. 3. qu. 11.* præjudicialibus; *c. 1. de ord. cogn. c. 4. prius est ut. 4. §. aliquando. 3. qu. 11.* spiritualibus, coram laico; *c. decernimus. 2. de judic. c. tua. 25. de decim. c. relatum. 21. §. ad hoc. de jur. patron. c. gravem. 15. de excess. Pral. causa spoliationis, nisi de alia; c. fin. de ord. cognit. depositi; c. bona fides. 2. de depos. causis executivis. Socin. in d. c. ex literis. art. 5. num. 57. simplici; non in modum actionis, iudicis imploratione. Socin. in c. ex literis. 1. n. 92. hic. momentaneâ possessione. Gl. in c. fin. de ord. cogn. Gl. & Hostiens. in d. c. cum dilectus. 6. de arbitr.*

Proponi debet *Reconventio*, libello comprehensa, ante litem contestatam, vel statim post, & deinde cum conventionem simultaneo processu, eodemque iudiciorum ordine & figura procedere; *Gl. in c. prudentiam. 2. verb. eodem modo. hic.* ita tamen, ut prius in conventionem Actoris, deinde in reconventionem, & ita deinceps in singulis actibus uno quasi cursu ad metam litis procedatur, *Gl. Felin. & Dd. in d. c. ex literis. hic. Gl. in Clem. saepe. de verb. sign. modò de utraque causa pariter constet: si non, in negotio liquido iudex procedere, in non liquido supersedere potest. Dd. in c. cum dilectus. 2. de ord. cognit. Spec. tit. de reconvent. §. videndum. num. 5.*

Causa conventionis & reconventionis eadem causa dici potest, eò quòd idem Iudex, iidem litigatores, eadem instantia, & una sententia determinanda. Accedit, quod prohibita appellatione in conventionem, prohibita etiam in reconventionem censeatur. *d. c. cum dilectus. 2. de ord. cognit. c. fin. hic.*

*De litis contestatione.*

## TIT. XII.

**A**bsolutis præparatoriis, sequitur ipsius Iudicii principium & fundamentum; quod est *Litis contestatio*.

Est iudicii fundamentum: quia si à partibus fuerit omiſſa, nec testes recipi, nec ad sententiam definitivam deveniri potest, adeoque iudicii processus corrumpitur. *tot. tit. ut lite non cont. c. dudum Ecclesia. 54. §. licet. de election.*

Fit per actoris intentionem in jure propositam, & responsionem rei, animo litem contestandi subsequendam. *d. c. dudum. §. licet. c. un. hic, c. prout. 4. de dolo & cont.*

Is animus ex verbis propositis ad litem contestandam aptis præsumitur. *arg. c. 9. humane aures. 22. qu. 5.*

Nuda facti narratio, & responsio in negando non consistens, non inducit litem contestationem. *c. 2. hic. in 6. & Dd. com.*

Litem contestantur vel ipsæ personæ principales, si habent personam standi in iudicio, vel eorum procuratores, tutores, curatores, syndici, actores, *c. cum ad sedem. 15. de rest. spoliat. d. c. prout. 4. c. cum causam. 6. de juram. calumn. c. 1. un. hic. Advocati. c. cum causam. 62. de appell.*

Hoc facere debent in jure, id est, coram Iudice competente; *c. at si. 4. in princ. de iudic. c. ad nostram. 3. de consuet. tempore ad agendum legitimo.*

Litis contestatio regulariter in omni causa necessaria, de qua non de plano absque figura Iudicii, sed processu juris habito, ordinariè cognoscitur. *Socin. ad c. quoniam. num. 8. ut lite non cont. ubi causas exceptas vide.*

Nec solum necessaria, cum per actionem iudicium instituitur: verum etiam ubicunque iudicis officium pro actione proponitur; veluti, cum in integrum restitutio  
non

non incidenter, sed principaliter postulatur. *c. fin. de offic. Iudic.*

Litis contestationis effectus est varius: Alius à parte Iudicis, alius à parte Actoris, alius à parte Rei, alius communis.

*A parte Iudicis*; quod jurisdictionem ipsi demandatam perpetuet: *c. relatum. 19. de offic. deleg.* quod in præjudicium unius litigantis nihil innovare queat. *tot. tit. C. ut lit. pend. nihil innov.*

*A parte Actoris*; quod actiones temporales perpetuet: *l. ult. ff. de fidejuss. tut. l. ult. C. de præscr. 30. ann.* quamlibet præscriptionem, etiamsi facta sit litis contestatio coram arbitro, interrumpat; *c. 9. post. 16. qu. 3. Panorm. in c. illud. num. 11. cum seq. de præscript. & Felin. ibid. num. 3.* quod rem petitam litigiosam faciat; *l. 2. C. de reb. litig.* quod actor libellum mutare nequeat. *Gail. 1. obs. 74. num. 4.*

*Ex parte Rei*; quod res petita post litem contestatam Reo pereat; *Hotom. 4. obs. 5.* puta si fur, prædo, &c. sit: *l. 40. ff. de petit. hered. l. 49. ff. de furt. l. 1. §. rectissime. l. 19. ff. de vi & vi arm.* quod post eam possessores in mala fide constituentur. *l. 25. §. 7. ff. de pet. hered.*

*Communis effectus est*; quod litis contestatio novationem inducat; *l. 11. l. 29. ff. de novat. l. 3. C. eod.* quod ab ea iudicium incipiat; *Cujac. ad c. 1. de juram. calumn. Gail. 1. obs. 74. num. 1. Fac. c. super questionem. 27. in princ. de offic. jud. deleg.*

*Ut lite non contestatâ non procedatur ad  
testium receptionem, vel ad sen-  
tentiam definitivam.*

## TIT. XIII.

**Q**UOD diximus titulo præcedenti, lite non contestatâ nec testes posse recipi, nec ad sententiam definitivam posse

posse procedi, quoad testium receptionem, non est perpetuum.

Eam enim aliquando Iudex, tam *Ordinarius*, quàm *Delegatus*, perspectâ negotii & personarum qualitate, *Myns. obs. 72. cent. 4.* admittit, si de testium vel obitu, vel diuturna absentia periculum sit. *c. quoniam frequenter. 5. in princ. hic.* Idque tam in causa civili, quàm criminali: ita tamen ut in hac eam, alterâ parte absente, non admittat: *Gloss. in c. veritatis. 8. de dolo & cont. in ea* potest, si periculum sit in mora: si non; pars adversa, ad videndum jurare testes, & dandum interrogatoria, debet citari. *Socin. in d. c. quoniam frequenter. 5. Hostiens. in c. significavit. 41. de testib.*

Sunt & alii casus, in quibus ante litem contestatam testium receptio permittitur. *Innoc. in d. c. quoniam frequenter. 5. verb. procedendum. Specul. tit. de teste. §. nunc tractemus.* Puta, 1. Cùm actor propter interpositum iuramentum nequit agere; *c. ad nostram. 20. de iurejur.* 2. Cùm causa est merè spiritualis, & sine alterius commodo; ut est hæresis crimen; *c. 6. sanè profertur. 24. qu. 2. c. ab infirmis. 26. qu. 7. c. à nobis. 28. de sent. excommun.* 3. Cum publicum commodum offenditur; *c. 9. quia ea. 3. qu. 2. 4.* De statu Ecclesiæ agitur; *c. cum olim. 34. de testib. & attest. 5.* In causa denunciationis; *c. veritatis. 8. de dolo & cont. c. novit. 13. de jud.* 6. In causa appellationis, cum appellatus est contumax; *c. interposita. 70. §. sane. de appell.* 7. In causa matrimonii carnalis, cum alter se malitiosè absentat; *d. c. quoniam frequenter.* 8. In dilapidatione; *arg. d. c. quia ea. 3. qu. 2. 9.* In causa purgationis; *c. cum P. 7. de purg. can. 10.* Ubi aliquid officio iudicis actioni serviente petitur; ut in expensis lite pendente factis; *c. 2. de offic. Iud. c. ex literis. 1. de conf. & affin. 11.* In omnibus, in quibus simpliciter & de plano proceditur. *Spec. d. loc. qui plures usque ad 36. enumerat.*

Testes sic producere ante litem contestationem, non tantum Actor potest, sed & Reus; diverso tamen modo. *Myns. cent. 4. obs. 71. Gail. 1. obs. 92. n. 3.*

Actor

*Actor* eos producit, si testes sint vel senes, vel valetudinarii, ita ut mortis subsit periculum; aut diu abfuturi; *d. c. quoniam frequenter. §. c. cum olim. 34. significavit. 41. de test. & attest. c. presentata. §. de testib. & attest. & in ipsius potestate non sit, quod agat; Innoc. in d. c. significavit. & d. c. quoniam frequenter. in Gl. senex. veluti si debitorem sibi sub conditione habeat obligatum.*

*Ætas, infirmitas, & absentia testium, quomodo sit æstima- manda, iudicis committitur & relinquitur arbitrio. Innoc. in d. c. quoniam frequenter.*

*Actori, testium hanc receptione concessa, necesse, ut intra annum, a quo agere potuit, actionem instituat: aut saltem Reo hujusmodi testium receptionem denunciaret. d. c. quoniam frequenter. §. sed si noster. ubi Gl. & Panorm. num. 7.*

*Reus indifferenter, & sine ætatis, valetudinis, aut absentia discrimine, quoslibet testes producere potest, modò ipsi exceptio, vim actionis non habens, competat, quã actionem, quam metuit, elidere possit. Lanfranc. in c. quoniam contra. de probat. c. 8. num. 34.*

Fieri debet hæc testium productio coram ipsius seu causæ principalis competente iudice, *Panorm. in d. c. significavit. num. 10. parte, ut dictum, citatã: Host. in d. c. significavit.* Nisi præsens, ob mortem testis, periculum versetur; Tum enim & coram incompetente iudice, & parte adversã non citatã, facta testis hujus receptio valet. *Felin. in c. si qui testium. 8. num. 13. de testibus. & attestat.*

### De juramento calumnie.

#### TIT. XIV.

**L**ite contestatã, varii actus ante sententiam definitivam interponuntur: qui ad tria genera referri solent. In primo genere ponitur *jusjurandum calumnie*; in secundo *dilationes*; in tertio *progressus contra Reum contumacem, vel fatentem, vel negantem.*

*Iura-*

*Juramentum calumniae* nihil aliud est quàm juramentum à litigantibus super causa bonâ fide suscepta, & deinceps prosequenda, præstandum.

Illud, hoc jure, judex, non nisi petitum sit, partibus imponere tenetur. *c. 1. §. propter omissum. ubi Gl. verb. annullandus. hic. in 6.*

Impositum si quis præstare recusaverit, actor ab instituta cadet actione, reus pro confesso habetur. *c. fin. §. fin. hic.*

Præstant hoc litigantes omnes, etiam universitas, municipium; &c. *c. Imperatorem. 4. c. ult. eod. personæ Ecclesiasticæ; c. caterum. 5. c. ult. eod. in causis propriis (non in causis Ecclesiæ; c. 1. & d. c. caterum. 5. hic.), sive suo, sive alieno nomine judicium suscipiant. c. 3. 4. & c. cum causam. 6. eod. c. 2. §. 1. eod. in 6.*

Utrum illud in propria persona præstent, an per procuratorem, nihil interest.

Procurator, hoc juramentum ut præstet, debet ad hoc speciale habere mandatum; *c. fin. eod. in 6.* & tum in animam domini & suam jurat. *Ioan. Andr. in add. ad c. in pertractandis. 3. hic. text. in c. 2. in princ. de testib. in 6.*

Præstatur in omnibus causis, in quibus necessitas probationis incumbit, *Petr. Greg. 48. Syntagm. 6. num. 3. tam in prima quàm secunda appellationis instantia; c. 1. in princ. hic. in 6. etiam causis criminalibus, c. 2. §. nos itaque. verb. criminali. hic. Hostiens. in sum. hic. num. 3. spiritualibus. c. 1. §. fin. eod. in 6.*

Et quidem hâc formâ. *Ab Actore;* ut juret se non animo calumniandi litem intendere, sed quod existimet, se bonam causam habere. *A Reo;* quod putet se justè resistere, opinione juris sui. *l. 2. in pr. C. hic. Ab utroque;* quod nihil penitus patrocini gratiâ, Iudicibus aut alteri cuicumque, in causa vel dederit, vel promiserit, vel etiam daturus sit per se, sive per alium, præterquam Advocatis honoraria, cæterisque quibus à jure dari permittitur. *c. statutum. 11. §. insu-*

§. *in super. de rescript. in 6. Auth. principales. C. hic.* Item quod neuter ullam probationem, quam non existimaverit necessariam, exiget. *Auth. in isto. C. eod.*

Iurant Prælati propositis Euangeliis, alii omnes tactis. *c. ult. in princ. hic.*

*De dilationibus.*

TIT. XV.

**S**equuntur *Dilationes*. Quæ sunt temporum, ad judiciales actus perficiendos concessorum, prorogationes. *c. 1. 2. & 3. hic.*

Sunt vel *Iudiciales*, quæ ob actum Iudiciale; vel *Extrajudiciales*, quæ ob actum Extrajudiciale expediendum dantur. De illis, non de his, nobis hic est sermo.

Sunt illæ vel *Legales*, hoc est, certo jure constitutæ; vel *Arbitrariæ*, id est, ab arbitrio Iudicis pendentes.

Conceduntur; ad testes producendos, *c. licet causam. 19. de probat.* ad peremptorias proponendas, *c. 1. & c. seq. 3. qu. 3.* probationem per instrumenta, *Novell. 115. c. sed & hoc. 2.* solutionem faciendam, *l. 2. 3. C. de usur. se purgandum, c. tam literis. 33. de testib. & attest. ad accusandum & agendum, c. licet. 14. de accus. & c. fin. de cland. despons. Prælatum optandum, c. cum in veteri. 52. de elect. appellationem prosequendam, excessus puniendum, *c. irrefragabili. 13. de offic. jud. ord.* negotium decidendum, *c. de causis. 4. de off. jud. deleg.* restitutionem petendam; *c. frequens. 1. de restit. spoliat. in 6.* excommunicationis exceptionem probandam, *c. pia. 1. de except. in 6.* litem contestandam. *c. 2. hic. & c.**

Earum spatia, hoc jure, sive à Iudice propriâ auctoritate, sive à Lege dentur (Iudex enim ea, negotii qualitate, & partium utilitate vel necessitate inspectâ, producit, vel arctat.) sunt arbitraria. *c. ult. de transact. c. 1. si egrotans. 5. qu. 3. c. 8.*

*c. 8. si Episcopus. 3. qu. 2. c. quod ad consultationem. 15. de sent. & re jud. c. oblata. 57. §. licet de appellat. Exceptis iis quæ ad appellationem prosequendam, & restitutionem in integrum petendam à lege concessa. Gloss. in c. cum sit Romana. 5. eod.*

Iudex dilationes non debet concedere, nisi sedens pro tribunali, præviâ causæ cognitione, & utrâque parte præsentem. *c. ult. §. à Iudice. 3. qu. 3. Hostiens. in Sum. hic. num. ult. Spec. de dilat. §. 2. num. 1.* puta, quas ipsè suâ auctoritate concedit. Lege enim concessæ, cunctis partibus absque causæ cognitione competunt; quamvis eas, qualitate personæ & causæ, aliisque circumstantiis consideratis, interdum Iudex moderari possit: ut statim diximus. *per jura ibi all.*

Iudex suâ auctoritate dilationes concedit, ubi eæ jure non proditæ; ut ad sistendum aliquem in iudicio, *l. sancimus. 26. C. de fidejussor. & opponendas exceptiones dilatorias. c. pastoralis. 4. de exception.*

Et tum potest non tantum cuique exceptioni opponendæ tempus præfigere, sed & omnibus simul opponendis unum terminum: *d. c. pastoralis.* qui censetur tum, licet non sit expressum, peremptorius. *arg. d. c. pastoralis.*

Alioqui in assignandis dilationum terminis necesse, si iudex terminum velit esse peremptorium, illud evidentibus verbis exprimere. Nisi enim id fuerit factum, tres termini dandi sunt: sive dilationes ante litem contestatam sint concessæ, sive post. *ut vult Lagus meth. utr. jur. hoc tit. per Gl. in Clem. saepe. 2. verb. non peremptoriè. de verb. signif.*

### De feriis.

#### TIT. XVI.

**P**RÆTER Dilationum causas titulo præcedenti enarratas sunt & aliæ: Nempe *Feria; Ordo judiciorum; Plus petitio; Concursus iudicii petitorii & possessorii.* de quibus hoc & sequentibus titulis agemus.

*Feria*

*Feria* (omnium, non unius litis dilationes), sunt dies ab actibus judicialibus vacui. *c. ult. hic.*

Cum aliàs septimanæ dies ferias vocamus, feriarum nomine abutimur. *Cujac. ad c. 1. & 2. hic. Covar. 4. resol. 19. num. 1. vers. eadem.*

Sunt *Feriae* aut *Solennes* seu *Ordinariae*; quæ scilicet certo spatio quotannis recurrunt; aut *Repentina* seu *Extraordinaria*, quæ subito pro re nata indicuntur.

*Solennes* aut sunt *Sacra*, aut *Profana*, seu *Necessaria*.

*Sacra* sunt, dies cultui & honori Dei, & Sanctorum reverentiæ dicati. *d. c. ult. hic. ubi vide. c. 1. & 3. nullus. 15. qu. 4. in princ. dist. 3. de consecr.*

Quos singulis diebus dominicis Parochus populo prænunciare debet. *c. 1. de consecrat. dist. 3.*

*Profana*, seu *Necessaria* sunt, quæ non propter honorem Dei vel Sanctorum, sed propter utilitatem vel necessitatem hominum sunt institutæ; ut sunt messium & vindemiarum. *d. c. ult. in fin. hic.*

*Repentina feria* sunt, quas Princeps aut Magistratus, propter inaugurationem, triumphum, rem prosperè gestam; *Gl. in verb. ob necessitates. in Clem. sape. 2. de verb. signif.* vel hostilem incursum, seditionem, pestem, aliamve causam publicam extra ordinem evenientem indicit.

Hisce omnibus feriatis diebus expediri non possunt quæ sunt jurisdictionis contentiosæ; ut est, citatio ad causam dicendam, respondendum, jurandum, sententiam audiendam; *c. ult. hic. c. 1. & 2. 15. qu. 4. c. auditis. 29. de election. damnatio ad mortem vel aliam pœnam: c. 1. hic.* possunt quæ sunt jurisdictionis voluntariæ; ut tutorum vel curatorum datio, emancipatio, testamenti, aut donationis, aut contractus confirmatio. *Kling. ad c. 1. num. 9. & 14. hic. l. actus. 8. C. eod.*

Possunt etiam hisce feriis expediri eæ causæ, quarum disceptationem pietas vel necessitas suadet. *c. ult. hic.*

*Pietas* suadet, si sint causæ debilium & miserabilium personarum, *arg. c. utinam. 9. dist. 76. c. nunquam. 33. dist. 5. de consecrat. Hostiens. in sum. hoc tit. num. 4. Kling: ad c. 1. num. 4. hic.* si de alimentis futuris officio iudicis debitis, *Ias. ad. l. 1. §. sed excipiuntur. num. 7. ff. hic.* causa spiritali, agatur, *Innoc. in c. ult. num. 2. hic.* de causa matrimoniali Iudex ex officio statuatur. *Hostiens. in d. Summ. num. ult.*

*Necessitas* suadet; si res, vel actio, tempore vel morte sit peritura. *c. fin. §. verum. cum seq. de iudic.*

Feriis sacris & repentinis partes renunciare non possunt: *c. fin. hic.* possunt profanis seu necessariis. *d. c. fin. c. licet. 3. hic. & c. si diligenti. 12. de foro compet.*

Tacitè id fecisse intelliguntur partes, quibus præsentibus & scientibus, nec contradicentibus, Iudex diem, quam feriatam esse scit, assignat. *c. quod ad consultationem. 15. de re iudic.*

His feriis, si non renunciatum, quod actum, non subsistit. *d. c. fin. hic. d. c. si diligenti. 12.*

Computantur feriæ sacræ vel de vespera in vesperam, *c. 1. & 2. hic.* vel potiùs secundum earum qualitatem, & regionum diversarum consuetudinem; *d. c. 2. hic.* Profanæ & repentinæ à media nocte in mediam noctem. *Wesemb. in com. C. hoc. tit. num. 25.*

### *De ordine cognitionum.*

#### T I T. XVII.

**S**equitur de ordine cognitionum; quia interdum accidit, ut aliqua cognitio differatur, donec altera terminetur.

*Ordo iudiciorum, seu cognitionum,* est dispositio, quâ unum iudicium alteri iudicio antepositur.

Spektatur is tum, cum plures actiones in iudicium veniunt.

Quod

Quod fit, cùm mutuis petitionibus actor & reus se impediunt : & tum eæ aut sunt *principales* ; aut *una est principalis* , *altera incidens*.

*Si utraque principalis & civilis* ; priùs proposita , priùs est tractanda, unâ tamen sententiâ ambæ terminandæ: modo se non contingant. *c. 2. hic.*

*Si sunt criminales* ; major minori proponetur.

*Si una civilis, altera criminalis* ; priùs criminalis tractabitur ; *c. 3. non est. §. civili. 3. qu. 11.* Nisi civilis criminali præjudicet. *c. 4. prius. §. si crimen. 3. qu. 11.*

*Si ambæ actiones non sunt principales* , sed *una incidit alteri* , tum incidens , si talis sit ut principalis impediatur cognitionem , priùs terminari debet ; *c. tuam. 4. hic.* aliàs priùs principalis. *Bald. tit. de incident. Gl. 1. in c. 1. hic.*

### *De plus petitionibus.*

#### TIT. XVIII.

**Q**uia plus petentis petitio aliquando differtur , ideo *de plus petitionibus* sequitur.

Plus quis petere dicitur quatuor modis : *Causâ* , *Tempore* , *Re* , *Loco*. *c. un. hic.*

*Causâ* ; cùm quis electionem Adversario competentem sibi arrogat ; ut, cùm id quod vel in genere, vel alternativè debetur, in specie, vel præcisè petit. *d. c. un.*

*Tempore* ; cùm ante diem vel conditionem existentem, petit id quod debetur. *d. c. un. in fin.*

*Re* ; cùm majorem summam vel quantitatem, quàm debetur. *d. c. un. vers. Re.*

*Loco* ; si eo, quo convenit solvere loco, non petit ; sed alio. *d. c. un. vers. Loco.*

Hoc modo plus petens, tenetur quanti rei interest convento loco non solvisse. *d. c. un.*

Re plus petens, in expensis adversario condemnatur. *d. c. un. in princ.*

Tempore plus petenti duplicantur induciæ: quibus fi-

nitis, Reus litem non excipiet, nisi expensis ipsi solutis. *d. c. un. vers. ei verò.*

Causâ plus petens, ad omnes expensas in triplum & omne damnum, quod Reus occasione institutæ actionis tulit, condemnatur. §. *si quis agens. 33. vers. Et siquidem. Inst. de action.*

Has tamen pœnas effugiet, si ante litem contestationem à plus petitione desistat. *Hostiens. hic.*

### *De causa possessionis & proprietatis.*

#### TIT. XIX.

**D**iximus supra in genere de ordine cognitionum: videamus nunc in specie de ordine cognoscendi in concursu petitorio & possessorii iudicii.

*Concurfus* fit, si actor, agens petitorio, à Reo, conquirente fortè de spoliatione, conveniatur possessorio: idque vel *de eadem re, vel de diversa.*

Si utrumque iudicium est *eadem de re*, prius super possessorio est cognoscendum, & pronunciandum; petitorio, prius proposito, suspensio. *c. ex conquestione. 10. c. literas. 13. de restit. spoliat.* Et hoc sive possessorium præcedat, sive sequatur. *c. in literis. 5. eod.*

Iudicium utrumque si est *de re diversa*; subdistingendum est. Nam aut *possessorium*, puta de spoliatione, proponitur *in modum reconventionis*, aut *in modum actionis*, aut *in modum exceptionis*.

*Si in modum reconventionis*; puta quia Reus conventus reconveniendò petit restitui; tunc vicissim sunt tractanda, & unâ sententiâ terminanda. *vid. supr. de mutuis petit.*

*Si in modum actionis*; tunc sive civiliter, sive criminaliter spoliatus ab Actore conveniatur, possessorium prius excutiendum. Spoliatus enim ante omnia est restituendus. *c. in literis. 5. c. gravis. 11. de restit. spoliat.*

*Si in modum exceptionis*; primò exceptio spoliationis, deinde petitorium tractabitur. *c. 2. vers. sed quoniam. de ord. cognit.*

Qui

Qui petitorio agit, ante conclusionem in causa, & possessorio adipiscendæ, vel recuperandæ, non retinendæ, agere potest: non post conclusionem; nisi iusta causa sublit. *c. pastoralis. 5. & c. cum dilectus. 6. hic. c. significaverunt. 36. de testib. & attest.*

Si petitorio & possessorio simul est actum, unâ sententiâ terminatur, & præmittitur possessorium in definiendo, licet prius in petitorio fieri debeat executio. *c. cum dilectus. 6. c. cum Ecclesia. 3. c. ad ultimum. 2. hic.*

Succumbens in possessorio, potest de proprietate agere. *c. cum olim. 7. eod.*

### De restitutione spoliatorum.

#### TIT. XX.

**Q**uia statim diximus, spoliatum ante omnia esse restituendum, *c. 1. c. in literis. 5. hic. c. ult. de ord. cognit.* nunc videndum, *quid sit spolium, quomodo fiat, quis ejus sit effectus.*

*Spolium, est violenta possessionis privatio. c. 1. 2. 3. & passim. hic.*

Cadit in omnes res mobiles, *c. gravis. 11. hic. immobiles, c. 1. hic. jura, c. olim inter. 17. eod. beneficia. c. solitè. 2. c. in literis. 5. c. accepta. 3. eod.*

Fit vel per vim expulsiuam, *c. item cum. 6. eod. vel ablatiuam, d. c. gravis. 11. vel compulsatiuam. d. c. 2. eod.*

Spoliasse etiam dicitur & Iudex, qui prætermisso juris ordine, vel cum non esset competens, aliquem jure suo, vel re suâ privat: *c. conquereute. 7. eod. & is qui spolium mandavit, aut spoliationem suo nomine factam ratam habuit, c. cum ad sedem. 15. eod. aut rem à spoliatore accepit. c. saepe. 18. eod.*

Effectus spolii, quod deo quis potest conqueri aut agendo, id est, conveniendo, vel reconueniendo; aut excipiendo.

Si conveniendo hoc faciat, est ante omnia restituendus. *c. 1. & c. fin. de ord. cognit. ubi Abb.*

Si reconveniendo, utraque quæstio pariter est tractanda.  
d. c. 2.

Si excipiendo, non cogitur ante restitutionem Actori respondere. c. ult. de mut. pet.

Restitutio hic facienda, unà cum fructibus, damnis. d. c. gravis. II.

### De Contumacia.

#### TIT. XXI.

**A**gitur deinceps de iudicii, in reum contumacem, vel confitentem, vel negantem, progressu.

Contumax est, qui dolo malo iudici vel Prælato non obtemperat, Gloss. in c. ad aures. 5. de temp. ordinat. c. cordi. 1. §. fin. de appellat. in 6.

Quare qui iudicè citatus, nec legitimè impeditus, nec per se, nec per procuratorem comparet; c. cum dilecti. 6. §. fin. de dolo & cont. c. quoniam. 5. ut lite non contest. vel qui quidem comparet, sed non obedit; vel sine iudicis licentia recedit; c. 43. certum. II. qu. 3. c. ex literis. 10. de excess. Præl. c. 6. de illicita. 24. qu. 3. contumax dicitur.

Iudicè citatus est, si trinis Edictis, vel uno peremptorio, quod tantum temporis, quantum illa tria Edicta, continere debet, in jus vocatus est. l. contumacia. 53. §. 1. de re jud.

Hæc contumacia, sive Actoris (nam & is potest esse contumax), sive Rei, variè, & quidem aliter si lis contestata, aliter si non, à Iudice puniri potest: ira tamen, ut is non omnes pœnas simul infligat, sed ex eis unam; quâ si non corrigatur contumax, ad aliam procedere poterit. Lancel. in just. jur. Canon. hic. in fin.

Actor, si contumax, id est, ad terminum ad quem Reum citavit, non comparet, damnatur Reo in expensas, nec ad novam citationem admittitur, nisi caveat se in assignato termino compariturum. c. actor. 1. de dolo & contum. in 6.

Potest

Potest etiam Reus, si lis nondum contestata, petere ut actor legitimè citetur, & si non compareat, ipse ad probationem admittatur, sententiaque feratur. *c. 3. eod. ubi Panorm. num. 15. & seq. vid. Novell. 112. cap. 3.*

Quod si actor lite contestatâ contumaciter absit, & tempus instantiæ, puta triennium, usque ad semestre præterlapsum sit, potest similiter iudex, si causa liquida sit, ad definitivam sententiam progredi, etiam in favorem actoris, si eum meliorem causam fovere videat: alioqui Reum ab observatione iudicii absolvit, actore in expensas condemnato. *l. properandum. 13. §. & si quidem. 2. C. de judic.*

Reus si sit contumax, ei aut mulcta infligitur à iudice, *l. 2. ff. si quis in jus voc.* aut actori in expensas aliaque damna condemnatur, *l. sancimus. 15. C. de judic. & ibi Bald. Salic.* aut invitus ad iudicium ducitur, *Panorm. ad. c. 4. circa fin. hic. l. consentaneum. 8. C. quom. & quand.* aut excommunicatur, *c. fin. §. fin. ut lite non cont.* aut missionem in bona patitur. *c. 1. 2. 3. c. fin. de eo qui mitt. in poss. rei serv.*

Contumax Reus dicitur vel *Verus*; qui personaliter citatus, dicit se nolle ad iudicium venire. *c. 2. de dolo & cont. & ibi Gloss.* qui dicit se venturum, nec venit: *decis. Rot. 3. cum jura.* qui venit, non tamen respondere vult: *c. 1. de judic.* qui tribus Edictis citatus non comparet. *can. 6. de illicita. 24. qu. 3.* vel *Fictus*, qui ad domum tantum vocatus non comparet; *Accurs. Bart. ad l. si tutor. 15. ff. de adm. & peric. tut.* Nisi, *secund. Bald. ad c. quoniam frequenter. 5. §. porro. ut lite non cont.* citatio ad domum facta ei ab amicis vel domesticis fuerit denunciata.

Hic appellare potest, *Gloss. approb. ad Clem. 1. de dolo & cont. non Ille. l. ex consensu. 23. §. fin. ff. de appell.*

*De missione in possessionem.*

## T I T. XXII.

**R**EUS contumax, ut diximus, *missionem in bona* patitur; sed aliter *lite contestatâ*, aliter eâ *non contestatâ*.

*Lite contestatâ*; si de causa non liqueat, Actorem iudex in possessionem bonorum Rei immittit, ita ut statim verus efficiatur possessor, & Reo absenti sola proprietatis quæstio relinquatur: *c. prout nobis. 4. ubi Gl. de dolo & cont.* si de ea liqueat, sententiam definitivam fert. *d. c. prout nob. ubi Gl.*

*Lite non contestatâ*, cum ad causæ merita deveniri non possit, *tot. tit. ut lite non contest.* solet ad missionem in possessionem deveniri. *c. quoniam. 5. §. in aliis ut lite non contest. d. c. prout nobis.*

Ea fieri debet per *Decreti modò primi*, modò *secundi*, interpositionem.

Est *primum Decretum*, prima à Iudice jubente ob contumaciam absentis, in possessionem bonorum ejus, custodiae causâ, facta missio. *c. constitutis. 1. de eo qui mitt. in poss. & c.*

Illud interponunt Iudices Ordinarii, *d. c. constitutis. 1.* & Delegati; Papæ & Principis; & alii, *c. 1. & ibi Gæd. num. 69. cum seq. de sequestr. possess.* saltem mixtum imperium habentes; *l. jubere. 4. ff. de jurisd. ad instantiam parvis obedientis, c. quoniam. 5. ut lite non cont. l. dies cautioni. 4. §. hoc. autem. ff. de damn. infect.* præviâ causæ cognitione. *Panorm. in d. c. quoniam. §. ult. num. 9. & 10. & c. 2. num. 28. de prohib. sequestr.*

Ex eo missionem decerni petere possunt omnes, quibus aliquid debetur purè: non sub conditione, *l. 7. §. 14. ubi Zas. l. pen. §. fin. ff. quib. ex caus. in poss. nisi sint legatarii, d. l. pen. §. 1.*

Fit missio primò in possessionem rerum mobilium, post in immobilium; *d. c. quoniam. §. fin. ut lite non cont.*  
deni-

denique in incorporalium. *juxta l. à Divo Pio. 15. ff. de re jud. Spec. §. restat. num. 1. de primo decret.*

Sed aliter in actione reali, aliter in personali.

In reali actione fit missio in bona petita; ut actor ea verè possideat; & post, non ante, *Panorm. in d. c. quoniam. 5. §. ult. num. 33. annum fructus lucretur. c. 1. de eo qui mitt. in poss. c. pastoralis. 11. §. praterea. de offic. Iud. c. contingit. 11. de dolo & contum. intra annum si reus veniat, & contumaciam, præstitâ satisfactione de judicio sisti, & restitutis expensis, purget, rem recuperat. d. c. quoniam. §. si reus. c. 1. de sequestr. poss.*

In actione personali, fit missio pro mensura debiti, *d. c. quoniam. §. ult. & ibi Gloss. (Nisi res certa petita sit: l. Fulcinius. 7. §. Celsus. 17. ff. quib. ex caus. in poss. eat.)* non ut actor possideat rem, sed unâ cum domino detineat, & custodiat. *l. si finita. 15. §. si plures. 15. ff. de damn. infect. l. 3. §. fin. ff. de acq. poss. l. si duo. 3. §. creditores. 8. ff. uti possidet.* Reus quandocunque, ante tamen secundum decretum, veniat, rem recuperat; prius tamen cautione de judicio sistendo præstitâ, & expensis refusis. *d. l. si finita. 15. §. 34. l. si quis. 8. §. pen. C. de præscr. 30 vel 40 ann.*

Secundum decretum (Quod, quoad possessionis acquisitionem, non in reali actione, *c. pastoralis. 28. §. praterea. de off. jud. deleg. c. contingit. 11. de dolo & contum. l. pen. §. pen. C. de præscr. 30 vel 40 ann.* sed tantum personali, est necessarium. *Barr. post Gl. in d. l. si finita. §. Iulianus. num. 42.*) est secundus jussus Iudicis, mixtum saltem imperium habentis, *l. 1. & 4. ff. de jurisd. quo missus in possessionem, ob perseverantem Rei contumaciam, verus & incommutabilis efficitur possessor. c. 1. de eo qui mitt. in possess. l. Pratoris. 5. ff. de damn. inf.*

Interponitur post annum à tempore primi decreti interpositi, *Barr. in d. l. si finita. §. Iulianus.* ad petitionem partis, si citatus ter, vel semel peremptorie, *d. c. quoniam. 5. §. fin. ut lite non cont. reus contumax, Panorm. in d. c. quoniam. §. fin. num. 31. 41. & 46. non compareat,*

reat, nec se ad iudicium cum debita cautione & refusione sumtuum offerat, *c. pastoralis. 11. de offic. jud. ord. c. 1. de dolo & cont. tot. tit. de eo qui mitt. in poss.* nec ullum justum impedimentum (de quo Iudex debet cognoscere, alioqui dabitur restitutio, *d. l. si finita. §. Iulianus. ubi Bart. num. 36. & §. 22. & §. 33. l. 19. ff. de damn. inf.*), quo minus veniat, obstat.

Variè hoc Iudex pro circumstantiarum varietate interponit: Modò enim *bona contumacis distrahi jubet*; modò *in solutum dat*; modò *actorem rei possessæ dominum facit*, modò *solum possessorem*.

*Bona distrahi jubet*; *l. 7. §. 1. & passim. ff. quib. ex caus. in possess. l. item. §. certum. §. ex quib. caus. major.* si ad æs alienum, id est, ad quantitatem debitam, agatur. *fac. l. 8. C. quom. & quand. jud.*

*In solutum dat*; si res possessa publicæ distractioni exposita, emtorem non invenit. *Specul. de secund. decret. §. 2. num. 19. arg. l. 15. §. si pignora. ff. de re jud. l. ordo. 3. C. de execut. rei jud.*

Et tum creditor, cui res in solutum data, justam habet possidendi & præscribendi causam, siue debitor illius fuerit dominus, siue non. *c. Abbate. 3. de sent. & re jud. in 6.*

*Actorem rei possessæ dominum facit*; puta potissimum in materia damni infecti, propter periculum sumtus & molestias ædium ruinosarum, quæ non faciliè emtorem inveniunt. *l. 15. §. 16. ff. de damn. inf.*

*Actorem rei possessæ solum facit possessorem*; Reo jure suo, etiam post annum, rei suæ repetendæ reservato; cum defensionis præsertim causa, quâ contumacia purgari & excusari possit, subest. *d. c. quoniam. 5. ubi Gl. & Dd. ut lite non cont.*

Diximus suprâ, in actione reali ex primo decreto immissum verum fieri post annum possessorem; quod adeò verum est, ut etiam obtineat, licet ob adversarii potentiam possessionem non potuerit ingredi, veleam amiserit.

*c. 1. de dolo & contum.* Non si per eum steterit, quominus possessionem intraverit. *c. 2. in fin. de eo qui mitt. in poss.*

Sed hoc obtinet, si reus nullam de stando juri dederit cautionem; Dans enim eam, restituendus est. *d. c. 1.*

Sed hæc omnia, quæ diximus, obtinent, si talis sit causa, ut actor in possessionem mitti possit. *c. 3. ut lite non contest.* id est, si quæstio sit de rebus profanis, non de dignitate, seu personatu, vel beneficio Ecclesiastico obtinendo: Tunc enim missioni in possessionem non est locus, sed ad sententiam definitivam proceditur: *c. un. de eo qui mitt. in poss. in 6.* vel contumax per censuram Ecclesiasticam coercetur, & parere compellitur. *d. c. 3.*

*Ut lite pendente nihil innovetur.*

TIT. XXIII.

**T**Raditur hoc titulo Regula: *Lite pendente nihil esse innovandum.* Cujus exceptio est superioris tituli doctrina.

*Lis pendere* dicitur, non solum post contestationem, *c. ex parte. 30. de verb. signif.* sed etiam (ut Doctoribus placet) post citationem reo intimatam usque ad sententiam definitivam, *c. 1. & 2. hic.* imo etiam post sententiam definitivam. si ab ea sit appellatum. *c. pastoralis. 28. §. præterea. de offic. Jud. deleg. c. de sent. & re jud. c. sæpe contingit. 44. vers. salvo. de appellat.*

Citatio ut litis pendentiam inducat, sex requiruntur. *sec. Clem. cum lite. 2. hic. 1.* Quod citatio emanarit; 2. A Judice competente; 3. Ad citatum pervenerit; aut per eum steterit, quominus perveniret; 4. Citatus ex citationis tenore plenè cognoscere potuerit, qua de re controversia sit futura; Citatio sit apta; 6 Nuncius eam legitimè & sufficienter insinuaverit. *per Gl. in d. Clem. cum lite. Myns. obs. 24. cent. 4.*

Lite

Lite pendente, nec judici, nec adversario, licet, siue propriâ, siue etiam Principis auctoritate, sine causâ cognitione aliquid innovare.

Unde privilegium vel rescriptum, lite pendente impetratum, si de hoc expressè mentionem non faciat, non valet. *c. 1. & c. ult. hic. c. causam. 19. de testib. & attestat.*

Nec, matrimonio ob causam consanguinitatis accusato, alter conjugum jure suo privari potest, quousque consanguinitas fuerit probata. *c. 2. hic.*

Si tamen, dum super primo matrimonio lis pendet, secundum rite sit contractum, hoc, si primum declaratur fuisse nullum, pendentis litis obtentu irritari non poterit: *c. cum in Apostolica. 13. de sponsal.*

Alioqui quod lite pendente innovatum, nullum est; & qui innovavit, in expensas damnatur, & jure sibi competente privatus, infamis efficitur. *c. pen. & ult. C. ut lite pend nulli lic. Imper. supplic.*

### *De sequestratione possessionum & fructuum.*

#### T I T. XXIV.

**N**ON solùm contumacia Rei missione in possessionem punitur, & aliis modis, de quibus titulo proximum præcedente diximus; sed & *Sequestratione. c. 2. de dolo & contum.*

Ea est rei controversæ, vel fructuum ejus apud Sequestrem, contententium consensu, vel judiciariâ auctoritate facta depositio, ut ab eo custodiatur, & lite finitâ victori restituatur. *l. licet. 17. ff. de pos. l. sequester. 110. de verb. sign.*

Est vel *conventionalis*, quando libera voluntate contententes ex sponsione rem deponunt: vel *judicialis*; quæ fit mandato Judicis inter litigatores.

Hæc, cum ab executione non sit incipiendum, *l. 1. C. de execut. rer. jud. nec alicui temerè possessio (cujus magna est*

est commoditas. §. *commodum*. *Inst. de interd.*) auferenda: *can. 2. volumus. 16. qu. 4. c. 2. ut lite pend. nihil. innov. c. 1. hic. c. causam matrimonii. 16. de offic. jud. deleg. tantum certis casibus fieri potest.*

Nempe 1. Si Iudex veretur, ne partes ad arma & rixas procedant: *l. 13. §. 3. ff. de usufr. 2. Missus in possessionem fructus dissipet: c. dilectus. 2. hic. 3. Maritus uxoris virginis, matrimonium contractum negantis, restitutionem petat: c. cum locum. 14. de sponsal. 4. Uxor, cujus restitutionem maritus postulat, de sævitia viri probabiliter timeat: c. ex transmissa. 8. & c. literas. 13. de restit. spol. 5. Denique si periculum in mora sit.*

Sequestrari possunt res mobiles, ut fructus, *c. 1. 2. hic. instrumentum, l. cetera. 4. §. fin. & l. seq. ff. fam. ercisc. immobiles, ut Ecclesiæ, c. examinata. 15. de judic. prædia. l. ab executione. 5. C. quor. appell. non recip.*

Non tamen sequestrari potest beneficium, si ejus trienniali possessori moveatur quæstio; *Clem. un. hic. potest, si non trienniali possessori. d. Clem. un.*

Transfert in sequestrem possessionem conventionalis sequestratio; nisi convenerit, ut tantum detineat: *l. 17. §. 1. ff. de pos.* Unde ratione possessionis jus habet fructus percipiendi; beneficia præsentandi; si fortè apud eum Ecclesiæ & juris patronatus sequestrum factum est. *Felin. in c. Bertholdus. de sent. & re jud. Gl. in Clem. hic.*

Judicialis sequestratio non transfert possessionem; sed eam, quoniam est dubia, relinquit in suspenso, donec vel partes inter se de lite amicè convenerint, vel judicis sententiâ, quis possessor sit, & esse debeat, declaretur. *c. 1. & 2. hic. l. 39. ff. de acquir. poss.*

Sequestrationem beneficii Ecclesiastici legitimè factam qui impedit, vel fructus sequestratos occupat, excommunicationem ipso facto incurrit, à qua non nisi impedimento amoto, & fructibus restitutis, absolvitur: si ex litigantibus sit, beneficio, vel jure quod in eo habeat, nihilominus amisso. *d. Clem. un.*

## De confessis.

## T I T. XXV.

**H**Actenus diximus de reo contumace: sequitur ut de confitente dicamus.

Confitetur quis vel *in jure*; & *Judicialis* dicitur confessio; *c. 1. si quandoque. 15. qu. 6. c. 2. hic. c. praterea. 10. de transact. vel extra judicium*; & *Extrajudicialis* dicitur.

Non tantum ore fit, sed & rei evidentiam, contumacia nimirum, paciscendo super crimine, taciturnitate: Nam qui tacet, consentire videtur, puta, si in jure id faciat, & judici interroganti contumaciter respondere nolit; vel ab adversario allegata non neget. *d. c. 1. si quandoque. cum c. seq. 15. qu. 6. c. tua nos. 8. & c. ult. de cohabit. Cleric. & mul. c. nullus. 4. c. nonne. 5. de presunt.*

Nocet confessio tantum ei, qui confessus est, non aliis. *c. 1. hic.*

Non tamen omnis confessio nocet confitenti, sed tantum ea, quæ à domino litis, majore viginti quinque annis, sanæ mentis, contra se, in jure, coram competente judice, & adversario, aut ejus procuratore, liberè, sponte, & scienter facta. *Lanfr. in c. quoniam. verb. confessiones. num. 18. & 15. de probat. Hostiens. in Sum. hic. §. qualiter.*

Quæ & tum demum valet, si nec naturæ, nec juri adversetur; & certum, vel incertum, cujus incertitudo declarari possit, contineat. *c. 2. & 3. hic. d. c. 1. si quandoque. 15. qu. 6. d. c. praterea. 10.*

Confessio facta revocari nequit, nisi ex continenti, *c. praterea. 7. de testib. cog.* aut nisi quis errore lapsus, quem ante sententiam probet. *c. fin. hic.* Non post sententiam: nisi fuerit appellatum. *l. sub pretextu. C. de transact.*

In appellationis enim causa, cum novis allegationibus,  
defensio-

defensionibus, & peremptoriis exceptionibus, in prima instantia omissis, uti liceat, errorem etiam in ea commissum, licet corrigere. Quia hoc ipsum est peremptoriam exceptionem proponere. *c. fraternitatis. 17. de testib. & attestat. c. cum Ioannes. 30. de fid. instrum.*

Confessio repentina, calore iracundiæ puta effusa, non obligat: & statim revocari potest. *Panorm. in c. cum venerabilis. 6. num. 12. de except.*

Vt & ea, quæ ante litem contestatam facta, *Lansfr. in d. c. quoniam. num. 32.* utpote extra judicialis.

Quæ vim probationis plenam non inducit, sed tantum in causa criminali indicium facit ad torturam contra confidentem; *Bart. & Gl. in l. capite. 25. in pr. ff. ad leg. Iul. de adult. non alium. c. 1. hic. l. fin. C. de accus. in civili, si ex aliqua certa causa, coram adversario & testibus facta, vim pacti obtinet. Canon. in c. per tuas. 10. de prob.*

Judicialis confessio habet vim sententiæ; *c. 7. nunc autem. dist. 21. l. 6. §. 2. ff. hic. l. 56. ff. de judic. 18.* adeo ut in confessum, si iudex de plano sine forma iudicii procedat, sententia postea non sit ferenda: *l. 6. §. ult. ff. hic. est, si ordine judiciario procedat; l. 3. 4. 5. ff. eod. l. ult. C. de exec. rei jud. ut & in criminalibus. l. 5. ff. de cust. & exhib. reor. Bald. in l. fin. C. de edend. vide Aphorism. nostr. ad Digest. hoc. tit.*

### De Probationibus.

#### TIT. XXVI.

**C**Um dictum sit de Reo contumace vel confitente, superest, ut dicatur de Reo inficiente.

Contra hunc debet Actor probare, quod intendit. *Actore enim non probante, Reus, etiamsi nihil præstiterit, absolvitur. c. un. ut Eccles. benef. sine. dim. c. cum Ecclesia. 3. de caus. poss. & propr. c. fin. de jurejur.*

Probare, est rei dubiæ in iudicio fidem facere. *c. forus. 10. §. causa. de verb. signif.*

Pro-

Probatio, alia est *Artificialis*, quæ ex ipsa causa, argumentis & judiciis trahitur; alia *Inartificialis*, quæ extra causam, à testibus, tabulis, confessione, juramento, accipitur.

Rursus utraque vel est *Plena*; quæ plenam fidem judici de eo quod propositum est, facit: *Panorm. ad c. fin. §. 1. num. 7. de jurejur.* ut sit per duos testes, instrumenta publica, præsumptiones, partium confessiones judiciales, ut *in c. cum causam. 13. hic.* rei evidentiam. *Spec. tit. de probat. §. videndum. &c.* vel *Semiplena*, quæ imperfectè concludit, & Iudici non tantam fidem facit, cui soli stare debeat: ut sit per unum testem, omni exceptione majorem, *Mascard. de prob. vol. 2. qu. 4.* instrumentum privatum, comparationem literarum, confessionem extrajudicialem, rationes, famam, & similia. *Dd. in c. fin. de jurejur. Mascard. d. loc.*

Plures tamen probationes semiplenæ conjungi possunt, ut faciant plenam; puta si probationes tendant ad unum finem, non autem si ad diversum; *Felin. c. cum causam. 13. hic.* siue sint ejusdem generis, ut est in duobus testibus, siue diversi, ut unius testis cum fama, *Myns. obs. 100. cent. 2.* Nisi tales probationes conjungendæ, sint in sua specie imperfectæ; puta si fama probetur per unum testem, & fuga probetur per alium testem: tunc non conjunguntur, cum quodlibet iudicium duos testes requirat. *Abbas in c. transmissa. 3. qui filii sint legit.*

Probare debet actor, non reus; *bonæ memoriæ. 23. §. porro excessus. de elect. c. quod autem. 1. & seq. 6. qu. 5. & sic affirmans, non negans.*

Negantis enim factum per rerum naturam nulla est probatio. *c. quoniam contra. 11. hic. d. c. bonæ memoriæ. 23. vers. contra.*

Retiè tamen qui excipit, & eo quid asserit, probare debet, cum in eo censeatur Actor; *c. in presentia. 18. hic.* ut si pro Actore sit præsumtio. *c. contra morem. 8. dist. 100. not. in c. 3. Pontifices. 12. qu. 3.*

Per indirectum etiam potest admitti ut factum negantis

tis

tis admittatur probatio, dum à negativa in affirmativam quodammodo fit transitus. *c. ex tenore. 35. de testib.*

Quod ut melius intelligatur, distinguendum cum *Closs. in c. accusator. 2. ad verbum accusator. 6. qu. 5. & in d. c. bona memoria. 23. §. contraligati. ad verb. per rerum naturam. inter negativam juris, facti, & qualitatis.*

*Negativa juris* probari debet, ut cum quis emancipationem negat esse factam, rectè illud probare debet; *l. ab ea parte. 5. §. 1. ff. hic.* quia hic negans affirmat solennitatem esse omissam, vel à jure requisita non fuisse adhibita.

*Negativa facti* est duplex: vel *Pura*, quæ simpliciter, sine determinatione loci, temporis, aut alterius rei proponitur; vel *non pura*, cui locus, tempus, aut alia circumstantia adjicitur.

*Illa* nec directè nec indirectè probari potest; ut, *si quis dicat, se non contraxisse, Bertham non duxisse. &c.* & proinde onus probandi transfert in affirmantem: ut *in d. c. accusator. 6. qu. 5. d. c. bona memoria. cum simil.*

*Hæc* probari potest per indirectum. *d. c. ex tenore. c. series. 26. de testib. l. optimam. 14. C. de contr. stipul.* veluti si instrumenta exhibeantur, in quibus contineatur, alio die, vel alibi, quàm asseritur, rem fuisse gestam.

*Negativa qualitatis* probanda, si qualitas contra juris communis præsumptionem negetur: ut cum negat quem ad beneficium esse idoneum, id probare debet; quia quilibet præsumitur idoneus, nisi de contrario constet. *c. fin. de præsumt. c. un. de scrutin. in ord. faciend. l. ex persona. 3. C. de probat.*

Probari debent ea quæ inter partes controvertuntur seu dubitantur: non quæ adversarius confessus, *c. ult. vers. nisi sua sponte. 15. qu. 5. c. 1. nos. 2. qu. 1. notoria, c. super eo. 3. in princ. de testib. cog. c. tua nos. 8. in princ. de cohabit. cleric. evidentia, c. evidentia. 9. de accusat. quæ judici, ut iudici, nota. d. c. ult. §. sed mirandum. 15. qu.*

5. c. si Sacerdos. 2. de offic. jud. ord. c. 6. unus ex nobis. 2. qu. 1.

Sed & controversa ita demum probanda, si probata probanti profutura sunt. c. per tuas. 32. in fine. §. noveris. vers. et si probata. de Simon. Gloss. in c. cum contingat. 36. verb. ubi nihilominus. de offic. jud. deleg.

Non tantum in Civili causa probatio necessaria, sed & in criminali; Hostiens. in Sum. num. 4. hic. & Dd. comm. ita tamen, ut (sed maximè in hac, c. 3. quisquis. c. 2. sciant. 2. qu. 8. l. fin. C. de probat. & matrimoniali causa, c. in litteris. 24. & ibi Gl. verb. probata. de testib. & attest.) ea sit clara & liquida. c. in presentia. 8. hic. l. 6. ff. eod. Gail. 2. obs. 13. num. 5.

In crimine tamen Simonix, c. sicut. 6. de simon. & hæreseos, c. cum contumacia. 7. de hæretic. in 6. quia in secreto solent committi, præsumptiones verisimiles admittuntur.

In quæstione speciei, fieri debet probatio in specie; generis probatio non sufficit: velut, si quis, dicens aliquem sibi esse subditum, hoc probare velit ex eo, quod tributum sibi solverit: quia tributum præstatio aliud quàm subjectionem significare potest. c. recepimus. 8. de privileg. c. quanto. 16. c. præterea. 8. de censib. Ita probatio generalis, vel æquivoca non relevat probantem super certa specie sub genere probato contenta. c. constitutus. 6. de relig. dom. c. cum venerabilis. 21. de censib.

Fit probatio per testes, c. 2. hic. confessionem partium, c. 1. nos in quenquam. 2. qu. 1. instrumenta debitâ solennitate confecta, tot. tit. de fid. instr. evidentiam facti, c. 17. de manifesta. 2. qu. 1. exempl. vid. in c. priusquam. 4. dist. 28. famam, c. tertio loco. 5. hic. c. cum causam. 13. eod. per libros antiquos, & scripturas antiquas in lapidibus vel columnis sculptas, d. c. cum causam. c. 1. pervenit. 30. qu. 1. litteras sigillo Episcopi, c. post cessionem. 7. hic. c. 20. cura sit omnibus. 11. qu. 3. Legati, Cardinalis, Abbatibus, Capituli, sigillatas, d. e. tertio loco 5. hic. c. 3. statuimus.

*tuimus. 19. qu. 3. communem opinionem, indicia indubitata, c. excommunicamus. 13. de heretic. præsumtionem violentam. c. adferte. 2. c. litteris. 12. c. tertio loco. 13. de præsumt. &c.*

Actor si plenè probavit, tenetur jurare: *c. 2. hic. d. c. ult. de jurejur.*

Fertur sententia pro eo, qui melius & magis sufficienter probavit. *c. licet. 9. §. ex præmissis. hic.*

Iudex enim non secundum proprium animi sui motum, sed allegata & probata judicare debet. *c. in præsentia. 6. de renunciat.*

*De testibus & attestationibus.*

TIT. XXVII.

**P**ost generalia de probationibus explicata, transeamus nunc ad earum species, quæ præcipuè duæ sunt: *testes*; de quibus hoc titulo; & *instrumenta*, de quibus titulo proximum sequente agemus.

*Testis* est, qui de aliquo facto controverso testimonium dicit: vel generalius, qui alicui actui adhibetur, ut possit de eo, quandocunque opus erit, testimonium dicere.

*Testimonium*, seu *attestatio*, *tot. tit. hic.* est ipsius testis asseveratio.

Testis esse potest, non omnis, sed tantùm idoneus & fidelis; id est, qui omni exceptione major. *c. 1. hic. c. 2. placuit. 4. qu. 2.*

Talis esse dicitur, qui jure non potest rejici. *c. 3. si testes. in princ. & §. testium. 4. qu. 2.*

Iure alii rejiciuntur *in totum*, alii *pro certis personis*, alii *contra certas personas.*, alii *in certis causis.*

*In totum*, impubes, *c. 1. testes. 4. qu. 2. c. forus. 10. §. fin. de verb. sign. l. 3. §. pen. ff. hic.* præterquam in crimine læsæ Majestatis; *l. de minore. 10. ff. de question. furiosus*, mente captus; *c. 14. in dicas. 3. qu. 9. c. ult. de success. ab intest. infamis*; qualis est usurarius; qui publico judicio da-

mnatus; qui ob testimonium dicendum, vel non dicendum, pecuniam accepisse iudicatus & convictus; repetundarum, ob crimen famosum, calumniam, adulterium damnatus; ob vitæ turpitudinem Senatu motus; hæreticus; *c. de hæret. c. 24. non potest. c. 39. testes. 2. qu. 7. nisi contra hæreticum: c. in fidei favorem. 5. de hæret. in 6. c. si hæreticus. 26. in princ. 2. qu. 7. perjurus, c. 18. quicunque. 6. qu. 1. c. parvuli. 14. vers. & qui semel. 22. qu. 5. mulier quæ corpore quæstum palam facit, fecitque, aliive omnes Legibus secularibus notati. c. 9. constituimus. 3. qu. 5. l. 3. ff. hic. c. placuit. 2. cum seq. §. Lege Iuliâ. in fin. 4. qu. 2. c. sicut nobis. 9. hic.*

*Pro certis personis prohibentur testimonium dicere; domesticus, familiaris, cognatus, affinis, vel cui imperari potest ut testis fiat; pro eo cui talis est; c. 1. vers. vel etiam. c. testes. vers. idonei. 4. qu. 2. c. 1. c. 10. similiter. verb. ad fines. c. 12. accusatores. 3. qu. 5. c. super eo. 22. c. in literis. 24. hic. Non contra; c. 1. vers. sed si voluerint. 3. qu. 3. Non in consanguinitate probanda; & in matrimonio contrahendo & disjungendo: c. videtur. 3. qui matr. accus. poss. Amicus pro amico; c. ult. §. testium. 4. qu. 2. c. quoties. 5. hic. Socius pro socio; sive ejusdem criminis, c. veniens. 10. c. personas. 20. hic. sive contractus. c. si testes. §. testium. 4. qu. 3.*

*Contra certas personas testari prohibentur; Reus de se crimen confessus, contra socios criminis; c. 1. de confess. c. fin. ubi Gloss. verb. praterquam. 15. qu. 3. exceptis quibusdam occultis & gravioribus criminibus, ut læsæ Majestatis, d. c. 1. & d. c. fin. verb. praterquam. hæreseos, c. in fidei favorem. 5. de hæret. in 6. Simonix: c. veniens. 10. & ibi Gloss. verb. confessio. hic. c. 1. eod. in 6. c. si quis Papa. 2. §. propter occultas. dist. 79. inimicus contra inimicum; c. cum I. & A. 22. de sent. & re jud. c. per tuas. 32. & c. licet Heli. 31. de simon. c. cum oporteat. 19. ubi ratio.*

*ratio. de accusat.* Libertus contra patronum; *can. Episcopus.* 58. §. *fin.* 12. *qu.* 2. *c. fin.* §. *liberti.* 4. *qu.* 2. Filius contra patrem, pater contra filium; Nisi in causa matrimoniali; *c. fin.* §. *parentes.* 4. *qu.* 2. Hæreticus & Judæus contra Christianum; *c.* 26. *si hæreticus.* 2. *qu.* 7. Laicus contra clericum, in causa criminali: *c. de catero.* 14. *hic. c.* 37. *beati.* §. *fin. cum c. seq.* 2. *qu.* 7. Non in causa civili, & causa electionum vel ordinationum: *c. tam literis.* 33. *hic.* Clericus contra Laicum; *c.* 9. *testimonium. in princ.* 11. *qu.* 1. Auctor inimicitiae contra Episcopum. *c.* 10. *detractores.* 3. *qu.* 4.

In certis causis testimonium ferre prohibentur mulier in testamento, & in criminali causa, quæ criminaliter intentatur; non quæ civiliter; *c.* 1. *de crimine.* 15. *qu.* 3. *c. forus.* 10. §. *ult. de verb. signif. c. quoniam.* 3. & *c. tam literis.* 33. *hic.* patronus seu Advocatus, Procurator, in causa quam defendit; executor causæ, in ea; *c. ult.* §. *patroni.* 4. *qu.* 2. *c. insuper.* 6. *hic. c. ult. in princ. eod. in 6.* judex in causa, in qua judex, *c.* 37. *hoc etiam.* §. *quaritur. cum. c. seq.* 2. *qu.* 6. *c.* 1. & *c.* 2. *nullus. verb. sed per se.* 4. *qu.* 4. quisque in sua causa. *can.* 4. *sanè.* 15. *qu.* 3.

Produci debent testes ad minimum duo, *c. veniens.* 10. *c. licet.* 23. *hic.* etiam ab homine in dignitate posito: *arg. c. ego solis.* 6. *dist.* 9. *Covarr. princ. quest.* 33. *num.* 3. *vers. his accedit.* sive de causa civili, sive de criminali agatur. *d. c. veniens.* 10. & *c. licet.* & *c. cum à nobis.* 28. *eod.* Nisi jus nominatim plures requirat: *d. c. licet.* 33. *in fin.* ut in Cardinali Episcopo convincendo septuaginta duo, Presbytero Cardinali quadraginta quatuor, Diacono Cardinali viginti quatuor, Subdiacono, Acolutho, Exorcista, Lectore, Ostiario, septem: *c.* 2. *presul.* 2. *qu.* 5. præterquam si testes sint spectatæ vitæ & scientiæ. Quo casu aut tres videntur sufficere. *c.* 3. *nullam.* §. *fin. nullam. vers. sed hoc.* 2. *qu.* 4. In purgatione Episcopi duodecim, Presbyteri septem, Diaconi tres requiruntur.

quiruntur, *c. 19. omnibus. in fin. 2. qu. 5. c. 12. si legitimi. 2. qu. 4. in testamentis tres. c. cum esses. 10. de testam.*

Unus vel singularis testis, cujuscunque sit dignitatis, regulariter non probat, *d. c. licet universis. 23. & c. licet ex quadam. 47. hic.*

Dico regulariter: nam certi sunt casus, in quibus probat; ut cum alicui non sit præjudicium, puta, cum dubitatur, an quis sit baptizatus, vel an Ecclesia sit consecrata, & hujusmodi; *c. parvulos. 110. de consecr. dist. 4. c. solennitates. de consecr. dist. 1. item cum dubitatur de voluntate obmutescantis seu morientis; arg. c. 7. qui recedunt. & c. seq. 26. qu. 6. cum matrimonium impeditur prætextu consanguinitatis contrahi; c. super eo. 22. hic. c. præterea. 12. de sponsal. cum dicit Sacerdos aliquem pœnituisse; c. nemo. 14. de simon. & arg. c. testimonium. 54. hic. cum executor se dicit citasse vel denunciassè; c. cum parati. 19. de appellat. cum pater dicit filium invitum monachum esse factum; c. 4. præsens. 20. qu. 3. cum de crimine læsæ Majestatis agitur; c. siquis Papa. 2. dist. 79.*

Non plures Iudex admittere debet, quàm ad probandam causam sunt necessarii. *arg. c. significaverunt. 36. & c. seq. c. de testibus. 29. hic. c. cum te. 18. de offic. jud. deleg. c. finem. 5. de dolo & cont. c. frequens. 1. de restit. spoliat. in 6.*

Qui admittuntur non se ultro offerre; sed vocari, & veluti invitati deponere debent: *tot. tit. hic.* Qui enim ultro se offert, habetur, ut dicunt, subornatus & suspectus. *arg. c. 4. illi. 5. qu. 5.*

Produci & recipi debent regulariter, post litem contestatam; *c. 1. & 2. ut lite non cont.* non ante; nisi fortè de morte testium vel absentia diuturna timeatur, vel de causa matrimonii, electionis, publicationis, inquisitionis, *d. c. fin. eod. denunciationis, c. novit. 13. de judic. agatur. vid. Gl. ad d. c. fin. verb. regulariter.*

Fieri debet productio coram eo iudice, qui de causa cognoscit

cognoscit: *c. cum olim propter. 14. §. interim. de privil.* Nisi testes sint valetudinarii, senes, debilitate confecti, paupertate nimiam oppressi; ita ut ad iudicis personam adduci non possint: tum enim ad ipsos examinandos personarum idonearum & discretarum mittuntur. *c. si qui testium. 8. hic.*

Testes antequam examinet iudex, debet & partem citare, non trinam sed unam citatione, *c. in nomine Domini. 2. hic.* & a testibus de veritate dicenda, praevia admonitione super perjurio facta, *c. 1. de crim. fals. c. 80. quisquis. 11. qu. 3. iusjurandum exigere. c. qualiter. 17. & c. seq. de accusat. c. nuper. 51. c. tuis questionibus. 39. hic. c. fin. §. & prius. 2. qu. 5. c. pen. 3. qu. 9.* Quantumvis causa sit summaria. *vid. Imol. in Clem. saepe de verb. signif.*

Juramentum hoc (nisi a partibus remittatur, *c. tuis questionibus. 39. c. nuper. 51. hic.*) praestare debent testes omnes tam regulares, quam seculares. *Dd. in c. fin. de juram. calumn.* Hi tactis sacrosanctis Scripturis; illi iis propositis & manu ad pectus admotam. *Gloss. ad Clem. de homicid. ad Clem. 1. §. porro. de haeretic. text. in c. testimonium. 9. §. fin. 11. qu. 1.*

Iuramento praestito quemque testem Iudex, aut is cui examen commissum, examinat, clam partibus, separatim, adhibito Notario, qui dicta consignet; cum super articulis ab Adversario exhibitis; *c. venerabili. 52. c. nuper nobis. 51. c. significavit. 41. hic.* tum super interrogatoriis, seu questionibus super ipsis testium personis, item super ipsa lite, veritatis eliciendae causam, ab eo contra quem testes producuntur propositis; *c. 2. hic. in 6.* & omnibus circumstantiis; videlicet causis scientiae, *c. cum causam. 37. hic.* persona, loco, tempore, visu, auditu, credulitate, fama, & certitudine.

Debet enim testis, si petitur, scientiae rationem reddere. *Innoc. in d. c. cum causam. 37. num. 1.*

Sola enim attestazione prolata, nec aliis legitimis ad-

miniculis probata causa, nullius est momenti. *c. fin. §. sola. 4. qu. 2.*

Eam reddet per illum corporis sensum, quo id, quo de interrogatur, percipitur: ut visum, auditum, vel alium. *Gloss. in d. c. fin. §. in testibus considerandum. verb. ex tempore.*

Debet interrogatoriis respondere, non absens per scripturam, sed præsens verbis, *c. 15. testes. 3. qu. 9. c. fin. §. alia est. 4. qu. 2. c. 3. relatum. §. leges. vers. unde canonica. 5. qu. 2. c. tua nos. 8. §. si verò publicum. vers. cum non sit. de cohabit. cleric. & mulier. c. à nobis. 2. qui matr. accus. poss. claris, d. c. cum causam. 37. hic. necessariò vel probabiliter concludentibus, Farin. qu. 70. num. 147. veram depositionis causam continentibus; non ex credulitate, *c. quoties. 5. hic. auditu alieno, c. praterea. 27. c. licet. 47. hic. nisi cum eo alia adminicula accedant; aut de antiquis agatur; quæ se audivisse à senioribus, alioquin tamen fide dignis, dixerit. d. c. praterea. & c. 5. de parentela. 15. qu. 6. ubi Gloss. in verb. audistis. & d. c. licet.**

Depositione factâ, Iudex diligenter annotari curabit, quid testis tam super interrogatoriis quam articulis deposuerit; annotata testi præleget, & tandem cum de silentio servando admonitum dimittet. *Specul. de testib. §. 4. num. 2.*

Annotata prælegit testi, cum ut ejus constantia appareat: potest enim is non ex intervallo, sed in continenti se corrigere, & dictis suis in depositione addere vel diminueri: *not. in d. c. cum causam. 37. & c. praterea. 7. de testib. cog. & ibi Panormit.* tum ut ipsius depositionis claritas appareat: si enim testis obscure deposuit, iterum, ut veritas habeatur, est examinandus. *c. cum clamor validus. 53. hic.*

Examinatione peractâ, operam iudex dare debet, ut partes ulteriori productioni renuncient; *Specul. eod. §. satis. in princ. & §. ult. per c. cum venisset. 25. hic.* Alioqui litigantes, intra terminum à Iudice productionibus præstitutum,

tutum, vicissitudine probationum, usque ad tertiam super iisdem articulis testium productionem progredi possunt; non quartam; nisi producens juret, se nec calumniæ causâ eam facere, nec testificationum copiam habuisse. *c. cum clamor. 53. & c. 2. c. pen. c. in causis. 15. c. significaverunt. 36. hic.*

Quippe publicatis seu cognitis semel testimoniis super iisdem articulis nulla amplius est productio; super novis est. *c. fraternitatis. 17. in textu & Gloss. c. constitutis. 46. c. causam qua. 19. hic. nisi fuerit ei renunciatum. d. c. cum venisset. 25. c. veniens. 38. c. cum in tua. 44. eod.*

Publicatis testationibus, earum copia litigatoribus à Iudice communicari debet: *c. quoniam. 11. de probation. quo contra excipere, aut pro illis dicere alternis possint.*

Qua de re ante, vel in ipsa publicatione, protestari & mentionem inferre debent; alioqui non audiuntur. *c. presentium. 31. & ibi Mins. n. 1. hic.*

Nisi ea, propter quæ testium personas pars rejicere velit, demum post publicationem orientur, *d. c. presentium. 31.* pars juret, se id ex malitia non facere; *d. c. presentium. iudex (contra quem protestari debet) eum, quominus antea exceperit, impediverit, Mins. in d. c. presentium. tales testes repellere velit, qui omnino testes esse non possunt. Idem d. loc. num. 16.*

Exceptionem hanc probare Reus, contra quem testes sunt producti, potest intra terminum ad reprobandum datum, per testes alios, qui reprobatorii dicuntur, vel instrumenta. *d. c. presentium. c. licet Heli. 31. de simon. Quos Actor rursus per alios reprobare potest. Neuter ultra audietur.*

Quia testes probatorios, & eorum reprobatorios reprobare licet, non reprobatorios reprobatoriorum. *c. licet dilectus. 49. hic.*

Exceptione propositâ & probatâ, Iudex cognoscit, quibus plus fidei debeat tribuere.

Quod non ex testium multitudine sola, nec testimoniorum verisimilitudine, sed ex testium fide, dignitate, moribus, fortuna, constantia, religione, ponderat. *c. si testes. §. testium. 4. qu. 2. c. praterea. 27. hic. c. forus. 10. §. fin. de verb. signif. c. Ecclesia. 48. de elect. l. testium. 3. ff. hic.*

Si testes Actoris & Rei auctoritate & conditione sint pares, pro Reo sententiam ferre debet. promptiores enim ad absolvendum esse debemus, quàm ad condemnandum. *c. ex literis. 3. de probat. Nisi Actoris causa sit Rei favorabilior.*

Talis est, si sit pro re aut persona favorabili; ut libertate, dote, testamento, legitimatione, pupillo, vidua, orphano, fisco, Ecclesia, &c. *c. fin. de re jud. l. inter pares. 38. ff. eod.*

### *De testibus cogendis, vel non.*

#### TIT. XXVIII.

**T**estes si vocati sponte noluerint veritati testimonium perhibere, à Iudice Ordinario, vel ejus Delegato seu Commissario, Ecclesiasticâ censura, etiamsi juraverint se testimonium non dicturos, *c. intimavit. 18. d. testib. & attest. cogi possunt; c. 1. 3. 4. 7. 8. 9. 10. hic. maximè si nullo excusationis privilegio sint muniti, & se gratia, timore, vel odio, ferendo testimonio subtrahant. c. dilectorum. 10. & c. 1. eod.*

Publicè enim, ne veritas, ad quam eruendam testes adhibentur, *c. 1. eod. occultetur, c. fin. eod. imo & ipsius testis interest; cùm veritatem occultare sit mortale peccatum, c. 80. quisquis. 11. qu. 3. c. 1. & ibi Gl. verb. occultent. hic.*

Cogi non potest testimonium quis dicere, contra socerum, generum, vitricum, privignum, sobrinum sobrinove natum, eosque qui priore gradu sunt, &c. *c. ult. §. Lege Iuliâ publicorum. 4. qu. 2. nec libertus contra patronum; d. c. ult. §. liberti adversus. nec senex, valetudinarius,*

narius, miles, qui cum Magistratu abest, aut cui venire non licet; *d. c. ult. §. in viii.* publicanus, qui exercitui præbendum conduxit, *d. c. ult. §. publicani.* Episcopus, *c. 9. testimonium. §. nec honore. II. qu. 1.* Clericus, aliaque Ecclesiastica persona. *c. 38. statutum. in fin. 2. qu. 6.*

Quæ tamen personæ, si aliter de veritate constare nequit, ad testimonium vel coram iudice evocatæ, vel coram persona ad illas missa, *c. si qui testium. 8. de testib. & attest. dicendum, cogi possunt. c. super. 3. c. pervenit. 4. hic.*

Cavendum tamen, ne temerè, & nisi exigente causa, testes evocentur, *c. statutum. II. §. pro ferendo. de rescript. in 6. & ut sumtus evocandis à producente dentur; alioquin enim venire non tenentur. d. c. statutum. §. pro ferendo. vers. sed nec tunc. c. fin. §. liberti testes. 4. qu. 2.*

Qui testes testimonium dicere, vel ad examen venire impediunt, puniendi sunt. *c. cum causam. 37. §. quod si forte. & c. constitutis. 46. de testib. & attestat.*

### De fide instrumentorum.

#### TIT. XXIX.

**T**estium & instrumentorum probationes in exercendis litibus æquiparantur: *l. in exercendis. 15. C. hic.* imo interdum, sed latâ significatione, instrumentorum appellatione testes continentur. *c. pervenit. 4. de testib. cog. c. forus. 10. de verb. signif. in stricta, sunt diversa. c. cum Ioannes. 10. hic. c. II. forte. in fin. 23. qu. 4.*

In hac significatione *Instrumenta* accepta, sunt scripturæ rei controversæ fidem facientes.

Sunt vel *publica*, vel *privata*.

*Publica* dicuntur, quæ à publicis personis (ut Notariis.) *c. quanquam. 2. de usur. in 6. c. illud. II. de presunt. confecta; c. 2. hic.* quæ sigillo aliquo publico, ut Episcopi, *c. post cessionem. 7. de probat. c. 20. cura. II. qu. 3.* Capituli, *c. 5. de probat. c. in nomine Patris. I. fin. dist. 73.*  
Principis

Principis secularis, *c. cum dilectus. 9. hic.* sunt signata; *c. scripta. 2. hic.* quæ auctoritate Magistratus interveniente publicata, *c. G. perpetuus. 12. hic. l. publicati. 2. ubi Dd. C. de testam.* quæ à scribente, licet privato, & duobus testibus, subscripta; *c. 1. de testib. & attest. c. quoniam contra. 11. de probat.* (sed hæc vim instrumentorum publicorum tantum habent, dum testes vivunt; *c. 2. hic.*) quæ ex archivis publicis extracta, *c. ad audientiam. 13. de prescript. c. 1. pervenit. 30. qu. 1.* Imo omnis scriptura, cui de jure vel speciali consuetudine creditur. *d. c. cum dilectus. 9. hic.*

*Privata* instrumenta sunt, quæ auctoritate privatâ fiunt à privatis personis, nullis adhibitis testibus: ut sunt rationes, privatæ annotationes, apochæ, antapochæ, epistolæ, cautiones.

Hæc per se non probant; nisi contra scribentem, & non inficiantem, *l. 26. §. fin. ff. de pos. l. as. & Bart. in l. admonendi. ff. de jurejur.* aut eum qui ea acceptavit, *Lanfr. in c. quoniam. ad verb. instrument. num. 50. de probat.* aut nisi subscriptione testium, vel contrahentium, vel vetustate temporis, vel judiciariâ cognitione sint roborata. *Bald. in rubr. C. hic. num. 44. & 45.*

Illa, si coram iudice facta, plenam fidem faciunt; ut nulla in contrarium probatio admittatur. *l. in hac. 30. in fin. C. de donat. l. census. ff. de probat.* si à Notario facta, itidem plenam fidem faciunt, si omnia solennia in eorum confectione observari solita intervenerint: ita tamen ut probationem in contrarium admittant. *l. cum precibus. 18. C. de probat. Novell. 73. cap. 5. c. cum Iohannes. 10. hic. c. ad audientiam. 13. de prescript.*

Solennia ea sunt: Invocatio nominis Domini, anni ejusdem indictio, dies, contractus, nomen Imperatoris, vel Papæ, vel Regis, locus, testes, nomen & signum Notarii: *Specul. de instr. edit. §. 2. in princ.* Non subscriptio & subscriptio contrahentium & testium. *Panorm. & Innoc. in c. 1. de his qua sunt. 3. Pralat. sine conf. Capit.*

Quæ

Quæ si observata, faciunt instrumento plenam fidem; Si sint authentica, non si exempla: *c. 1. hic.* (Nisi auctore Iudice; *c. fin. eod.* aut ab eodem Notario, qui authentica confecit, eo animo fuerint scripta, ut perinde ac authentica valerent. *Dd. per c. dudum. 20. de convers. conjug.*) Si integra, non cancellata, innovata, rasa, suspecta. *c. ex literis. 3. c. inter dilectos. 6. hic. c. licet. 5. de crim. fals. c. cum venerabilis. 7. §. sed part. de relig. dom. c. cum olim. 12. & 14. de privileg.*

Produci debent instrumenta regulariter post litem contestatam. *Mins. ad c. 1. num. 41. de probat. ratio in c. quoniam. in princ. ut lite non contest.* possunt usque ad conclusionem in causa; *c. cum dilectus. 9. hic. ratio in c. pastoralis. 5. de caus. propr. & possess. c. auditis. 8. de procur. non post, si causa sit profana; ut in d. c. cum dilectus. omnino, secundum aliquos, si beneficialis. Hostiens. ad c. ad petitionem. de accusat. c. lator. 7. c. consanguinei. 11. de sent. & re jud. ratio in Clem. sape. de verb. signif.*

Fieri debet productio judici, coram quo litigatur; sed & ex causa alii; *c. accepimus. 4. hic. in loco tamen congruo & securo; d. c. accepimus. c. 20. hortamur. 3. qu. 9. c. ex parte. 47. de appellat. c. accedens ad. 4. ut lite non cont.*

Eduntur instrumenta, interdum, si producenti ita videatur, non in totum, sed in tantum quoad causæ convenit. *c. contingit. 5. in fin. hic.*

Reus non tenetur Actori instrumenta sua edere, vel in iudicio contra se proferre; *c. ult. §. qui intendit. 4. qu. 3. c. 1. de probat. nisi forsan ea sint communia. c. G. perpetuus. 12. hic.*

Si instrumenta, non cum Actore communia, in iudicio producat, quibus uti vult, ea Actori edere tenetur; ut & vicissim ei Actor. *secund. Gl. in d. c. G. perpetuus.*

Qui contraria duo instrumenta in iudicio profert, sibi fidem invicem derogantia, neutro probat. *c. imputari. 13. ubi*

*ubi Gloss. verb. contrarius. hic. c. cum inter. R. 16. de election.*

Nec quis probat instrumentis quantumvis publicis & sigillatis, quorum literæ legi non possunt, ut non valeat intelligi, quid in eis fuerit scriptum. *c. inter dilectos. 6. hic.*

Possunt instrumenta, contrariis testibus, sed pluribus & honorabilioribus, quam in instrumentis scriptis, refelli: si quidem agatur de facto recenti; *c. ex tenore. 35. de testib. c. cum Ioannes. 10. hic. non si de antiquo. c. un. ut Eccles. benef. fin. dim. Vid. qua ad hunc titulum diximus in Aphorismis ad Digesta, & maximè in Enarrat. Codicis dicemus.*

### De Præsumtionibus.

TIT. XXX.

**S**equitur de præsumtionibus, quia ex quandoque probationem faciunt, & Iudicem in formanda sententia instruunt. *c. literas. 14. & tot. tit. hic.*

Est præsumptio, probabilis conjectura, ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur. *Alciat. tract. de præsumt. in princ. part. 3. incipit, Veniamus. num. 1.*

Est, secundum Canones, quadruplex: *Temeraria, Probabilis, Violenta, Necessaria. c. adferte. 2. c. literis. 12. c. literas. 14. hic.*

*Temeraria* est, ex causis levibus proficiscens vana hominis opinio. Dant Canones exemplum in Presbytero mulierem amplexante; Et dicunt, temerè judicare quem, illud illum ex libidine facere, cum benedicendi, vel ad pœnitentiam exhortandi gratiâ id facere eum præsumptio fit. *c. 14. abst. 11. qu. 3. c. in scripturis. 8. dist. 96.* Tales etiam in foro olim fuerunt præsumptiones & indicia ex aqua frigida, fervente, zeli, ferro candente, duellis, sorte; quas Pontifices, & piissimè, utpote fallacia, sustulerunt. *c. 22. monomachiam. 2. qu. 4. c. 2. & c. fin. de purg. vulg. c. ex tuarum. 8. de purg. can.*

Ea

Ea nec semiplenè probationem facit, nec animum judicis movere debet. *c. 1. 2. qu. 1. c. 9. oves pastorem. 6. qu. 1. c. si quid verò. 23. dist. 86. c. licet Heli. 31. de simon.*

*Probabilis* præsumtio, est verisimilis conjectura, ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur. *Alciat. d. loc. par. 3. per c. quia verisimile. 10. hic.* Sic præsumitur non esse pudicam, quæ cum aliis viris vagatur. *c. tertio loco. 13. hic.*

Hæc, si lege juvatur, vim habet probationis, nisi contrarium probetur. (Hoc enim admittitur. *c. 3. presentium. 7. qu. 1. c. super hoc. 5. de renunc.*) Si eâ non juvatur, sed tantum in hominum opinionibus consistit, non probat per se, sed tantum probationem sibi concordantem juvat; *c. illud. 11. hic. c. fin. §. sape. 4. qu. 3. c. 4. si duo. 35. qu. 6.* ad juramentum ei deferendum, pro quo est præsumtio; *c. ex insinuatione. 3. de procur. c. sicut consuetudo. 2. de probat. & purgationem præsumto infamato. c. si quis. 2. de purg. canon. c. 5. & 13. presbyter. c. 16. si mala. & c. 19. omnibus. 2. qu. 4.*

*Violenta præsumtio*, aliàs *præsumtio juris* dicta, est verisimilis probatio ex multis indiciis, vel uno multum efficaci & veritati proximo, collecta. *Venat. in Analys. Jur. Pontif. hic.* Ut, fugiens cum gladio sanguinolento præsumitur vulnerasse; inventus nudus cum nuda, solus cum sola, in eodem lecto jacentes, secretis locis & latebris, præsumitur fornicatus. *c. literis. 12. hic. & c.*

Hæc onus probandi in adversarium transfert, & tam diu stat, donec contrarium probetur; *c. proposuisti. 4. de probat.* In criminalibus facit tantum indicium ad torturam: non ad condemnationem. *c. literas. 14. hic. arg. c. 12. nomen. 2. qu. 1. c. quia verisimile. 10. hic.*

*Necessaria præsumtio* (*juris & de jure dicta*) est dispositio legis aliquid præsumentis, super præsumto, tanquam sibi comperto, statuentis. *Alciat. d. loc. in princ.* Sic virgo, quæ ab eo, qui eam per verba de futuro desponsavit,

postea

postea cognita, censetur in sponsalia de presenti consensisse. *c. Usque fidem. 30. de sponsal. ut & ea purè, quæ se à sponso conditionali passa est cognosci. c. de illis. 7. de despons. impub. c. per tuas. 6. de cond. appof.*

Hæc præsumptio plenam probationem facit, & pro veritate habetur, nec probationem admittit in contrarium; nisi per confessionem partis, restitutionem in integrum, & alia. *de quibus vide Alciat. in d. tract. & Felin. in c. quanto. 8. hic. & Bald. in addit. ad Specul. hoc tit.*

Causæ, ex quibus præsumptiones proficiuntur, sunt fere infinitæ; paucas hic enumerabimus.

Desumuntur, ex persona, *c. decenter. 6. dist. 89. c. fin. hic. loco, c. 21. quisquis. 17. qu. 4. c. literis. 12. hic. tempore, c. 1. Gonsaldus. 17. qu. 2. c. 26. in omnibus. dist. 81. qualitate, c. 2. sunt nonnulli. dist. 46. c. fin. §. hermaphroditus. 4. qu. 3. taciturnitate, c. 1. sit Rector. vers. primo. dist. 43. c. nonne. 5. hic. utilitate, c. 24. ipsa pietas. 23. qu. 4. fletu, c. 1. si verum. 31. qu. 2. c. 10. imitare. 6. qu. 1. fuga, c. III. constat. 1. qu. 1. c. 1. sit rector. vers. rectores. dist. 43. negligentia, c. 6. pervenit. dist. 18. c. scribam. 9. hic. familiaritate, c. 1. quorundam. dist. 34. repellantur. 7. de accus. vicinitate, c. sed continuo. 46. dist. 1. de pæn. dignitate, c. 14. absit. 11. qu. 3. dilectione, c. 51. ea. 23. qu. 4. c. grave. 29. de præb. frequentatione, c. clericus. 20. dist. 81. c. monasteria. 8. de vita & honest. cleric. ætate. c. cum in juvenute. 15. hic. c. fraternitatis. 7. dist. 34. &c.*

### De iurejurando.

#### TIT. XXXI.

**Q**uod si Actor in probatione deficiat, interdum ei *jusjurandum*, maximum expediendarum litium remedium, defertur. *c. etsi Christus. 26. §. Iacobus. hic.*

Est

Est divini Nominis assumptio, ad id, quod asseritur, confirmandum. *d. c. etsi Christus.*

Est vel *Promissorium*, vel *Affertorium*; *secund. Dd. vid. Hostiens. in sum. hic. num. 3. & Sarmient. select. interpr. lib. 1. cap. 3.*

Illud dicitur, quod contractui, vel alteri actui adjicitur, confirmandi, sive non retractandi juris causâ.

Tale est iuramentum *Obedientiæ*, *c. nullus. 5. hic. c. legebatur. 3. de major. & obed. c. quanquam. 6. dist. 23. fidelitatis, c. veritatis. 13. hic. c. 18. de forma. 22. qu. 5. quo quis jurat aliquid se facturum: ut iudicio sisti; litem exequi; c. 1. de sequest. possess. vel daturum. c. cum contingat. 28. hic. c. quamvis. 2. de pact. in 6. c. Quintavallis. 23. c. veniens. 16. c. debitores. 6. hic. Iuramentum contractus confirmatorium; quo is vim, quam alioqui non haberet, accipit: *d. c. cum contingat. 28. eod. c. licet mulieres. 2. eod. in 6. modo moribus bonis, naturalibus, c. 4. 5. & ult. de pact. & c. 2. & fin. eod. in 6. aut publicæ utilitati, c. 2. hic. d. c. 2. de pact. in 6. non repugnet.**

*Iuramentum Affertorium*, est quo rei præsentis, vel præteritæ, veritas asseritur.

Tale est *iuramentum Veritatis*, quod præstant testes in dicendo testimonio; *c. nuper. 51. de testib. & attest. c. 2. de iuramento calumn. c. ex literis. 32. hic. Iuramentum calumnie*, quo Actor jurat se non calumniandi animo: sed existimans se bonam causam fovere, ad litigandum venire; & Reus jurat, se arbitrari justam causam habere deferendi, & in aliis se non odio, nec differendi iudicii gratiâ probationes vel iuramentum ab alio exigere: *tot. tit. de juram. calumn. Iuramentum malitiæ*, quod quis de malitia suspectus, requirente iudice, jurat, se non malitiosè exceptionem proponere, dilationem petere: *c. 2. §. fin. & ibi Gloss. fin. de juram. calumn. in 6. c. pastoralis. 4. de except. c. ultra tertiam. 55. de testib. c. 11. judicantem. 20. qu. 5. Iuramentum purgatorium*, quod præstat accusatus vel diffamatus de aliquo crimine, quod non fuit proba-

probatum; jurat & purgat se ita non commisisse: *c. 1. c. quoties. 5. c. constitutus. 3. de purgat. can. Exod. 22. Iuramentum litis decisorium.* Quod tantum ad præsens argumentum pertinet.

Est hoc iuramentum, litis finiendæ causâ, à parte litigante præstandum.

Est triplex, *Voluntarium, Iudiciale, & Necessarium*; ut patet ex rubr. hujus tit. in ff.

*Voluntarium* (sic dictum, quod sponte ab uno deferatur, ab altero suscipiatur, *l. 2. l. 3. l. jusjurandum. 17. ff. hic.*), est quod ex conventionem per modum transactionis pars parti, extra iudicium, defert. *d. l. 17. l. 28. §. ult. ff. eod.*

*Iudiciale* est, quod in Iudicio (unde iudiciale, licet & ipsum sit voluntarium, dictum) pars parti, iudice approbante, defert. *c. fin. hic. l. 12. §. 1. ff. eod.*

*Necessarium* est, quod Iudex ex officio, in defectum legitimarum probationum, ubi neque nihil, neque plene probatum est, alterutri litigatorum defert: sic dictum à necessitate præstandi. *d. c. fin. l. generaliter. C. de reb. cred. l. admonendi. 31. ff. eod.*

Iuramentum, ut valeat, deferri debet, sive à iudice, sive à parte ad deferendum habili. Nemo enim debet sine necessitate, aut nisi aliquo compellente, jurare. *c. 4. si quis Presbyter. 2. qu. 4. d. c. etsi Christus. 26. hic.*

Habiles ad iuramentum *voluntarium & Iudiciale* deferendum sunt; & qui rerum suarum, & qui litis sunt domini, nisi specialiter prohibeantur; *l. 7. C. l. 17. §. ult. l. 35. §. 1. l. 3. §. 5. ff. hic.* ad *Necessarium* solus Iudex, ad instantiam partis, vel ex officio. *Gail. 1. obs. 108. num. 5. Panorm. in c. ult. hic.* Non refert, an Ordinarius sit, an Delegatus. *d. l. admonendi. l. 3. l. 12. §. fin. autem. l. ult. C. hic.*

Actori an reo sit deferendum, Iudex, inspectis personarum & causæ circumstantiis, arbitrabitur, *c. ult. §. sanè. hic.*

De-

Deferri *judiciarium*, & *voluntarium*, potest omnibus qui ex conventionem vel sibi, vel aliis, actionem & exceptionem acquirere possunt; *l. 20. l. 24. l. 25. l. 26. ff. hic. cujuscunque qualitatis, ætatis, sexus sint; dd. ll. & Gl. ad c. 2. de exception. si quidem rei controversæ habeant scientiam; l. Marcellus. §. 1. ff. rer. amot. l. 5. in princ. ff. de in lit. jurand. Exceptis Sacerdotibus in levi causa, c. eist Christus. 26. hic. non in magna. in d. c. eist Christus. d. c. si quis Presbyter. 2. qu. 4.*

*Necessarium* deferri potest omnibus semiplenè probantibus; Nisi sint viles, infames, *Beust. in l. admonendi. num. 8. ff. hic. perjuri, de perjurio suspecti, c. 6. ille qui hominem. 22. qu. 5. c. 3. de cohabit. cleric. & mulier. arg. c. 5. ita ergo. & c. 2. non est contra. 22. qu. 1. c. ex tenore. 10. de sent. excomm. c. literas. 14. de presunt. veritatem rei ignorant. Bart. in d. l. admonendi. num. 27.*

Deferitur *juramentum voluntarium* & *judiciale* in omni actione quæ in judicio proponi potest; *l. 3. l. 7. ff. hic. Neque refert, an illa super statu hominis, Bart. in d. l. 3. num. 3. per d. l. 3. §. 2. & l. 30 §. 4. eod. an matrimonio, sed saltem pro eo; Bart. in d. l. 3. num. 2. fac. c. lator. 7. de sent. & re judic. aut crimine admissio, Accurs. in d. l. 3. verb. agatur. (sed ita ut Reo non Actori, deferatur. las. in d. l. 3. num. 23. Beust. ibid. num. 56.) aut aliâ etiam causâ moveatur. *l. 9. §. 2. l. 30. ff. hic.**

*Juramentum Necessarium* etiam regulariter in quavis causa admitti potest: *d. l. 3. ibi: in ceteris. Dd. in c. ult. hic. Excipiuntur causæ civiles magnæ & arduæ, Bald. in d. l. 3. num. 9. hic. Beust. in l. admonendi. num. 238. ff. hic. fac. c. 1. §. illum. de rest. spol. in 6. criminales, c. 2. sciant. 2. qu. 8. l. ult. C. de probat. matrimoniales, Gloss. & Panorm. & alii Dd. in c. mulier qua. 34. in verb. absoluto. hic. fac. c. ult. de probat. c. super eo. de eo qui cogn. conf. ux. spirituales, status, feudales; imo omnes in quibus jura evidentissimas & plenas requirunt probationes. Mascard. de probat. cas. 358. num. 43. & 44.*

Causa quæ juramentum hoc admittit, ut ei sit locus, debet esse dubia. *l. admonendi. 31. & ibi Dd. com. ff. hic.*

Dubia est, si probationis inopiâ laborat, *l. 3. C. eod.* id est, non si nihil sit probatum; Tum enim Reus, etsi nihil præstiterit, est absolvendus; *l. qui accusare. C. de edend. c. fin. §. sanè. hic.* sed si semiplenè probatum sit. *Costal. in d. l. admonendi. 31. Dd. commun.*

Defertur *Iuramentum voluntarium* extra iudicium; *Iudiciale* in iudicio, & vel in principio, vel in medio; *Necessarium* in fine, id est, sententia definitiva: *l. pen. in princ. vers. omne igitur. C. hic.* Idque tam in prima, quam secunda instantia. *Petr. Foller. ad Marant. part. 6. de juram. num. 20.*

*Iusjurandum voluntarium*, delatum, nemo suscipere tenetur; qui tamen suscepit, illud præstare debet, nec potest referre. *l. iusjurandum. 17. ff. hic.* *Iudiciale* delatum, aut præstandum, aut referendum. *c. fin. hic. l. delata. C. l. 34. §. ait Prætor. ff. eod.* Nisi is qui detulit, de calumnia jurare nolit: *d. l. delata. 9. d. l. 34. §. 4. iusjurandum remiserit: l. 1. C. hic. Necessarium* ab eo cui defertur, necessariò est suscipiendum & præstandum, aut causâ cadendum. *d. c. fin. hic. l. 12. §. 2. & 3. C. eod. c. 2. de probat. c. 2. §. 1. de juram. calumn.*

*Iuramentum Iudiciale & Necessarium* præstari debet coram eo Iudice, coram quo causa ventilatur. *l. 12. in fin. princ. C. hic.*

Iurandum prout juramentum fuit delatum. *l. 3. §. fin. l. seq. l. qui per salutem. 33. ff. hic.* Ratio est in *l. iusjurandum. 34. §. non semper. ff. eod.*

Iurabatur tempore Legis veteris, *Vivit Dominus, vivit anima mea; c. 7. & jurabunt. 22. qu. 1.* in primitiva Ecclesia, *Testis est mihi Deus. & Testis est mihi conscientia mea; c. 14. si peccatum. vers. non vobis. 22. qu. 1.* Modernorum juramentum est: *Sic me, vel te, Deus adjuvet. & ista reliquæ Sanctorum. c. 5. de parentela. cum 4. can. seqq.*

*seqq. 35. qu. 6. c. 9. quoties. 1. qu. 7. c. 12. habemus. 22. qu. 1. Sic me Deus adjuvet, & ista Evangelia. c. Ego N. in fin. 4. hic.*

Iurandum semper per Deum, non per creaturas, aut Deos falsos. *d. c. 7. & jurabunt. c. 8. considera. c. 9. clericum. c. 10. si quis per capillum. c. 16. movet te. §. sicut etiam. 22. qu. 1.*

Per creaturas tamen ita prohibetur jurare, in quantum solæ considerantur; quia illis divinitatis & superioritatis numen tribueretur, quod fieri non debet. non prohibetur per creaturas jurare, in quantum earum honor refertur ad Deum: ut dum juratur tactis Evangeliiis, per Evangelia, per Crucem; & ita intentio jurantis inspicitur: quare si quis juret super lapidem, putans se jurare super Evangelia, obligatur. *c. 11. humana. §. item objicitur qui. 22. qu. 5.*

Qui sciens per lapidem, vel aliam creaturam, falsum jurat, perjurus est. *c. 10. ecce. 22. qu. 5.*

Per Deo falsò attributa, quæ ei verè non insunt, jurare, est blasphemia damnata; ut & temerè, & detestando, quæ ei insunt, usurpare, & per Virginis matris & Sanctorum nomina temerè dejerare. *c. statuimus. 2. de maledic. c. 10. si quis per capillum. 22. qu. 1.*

Debet omne juramentum tres habere comites: *Iustitiam, veritatem, discretionem. d. c. etsi Christus. 26. hic. d. c. & jurabunt. 22. qu. 1. c. 2. animadvertendum. 22. qu. 2.*

*Iustitiam* habet, si licitum, nec ad mortale peccatum tendit. *c. innocens. 23. §. illicitum. 22. qu. 4.*

*Veritatem*; cum falsum abest.

*Discretionem*; quando cum causa, deliberate, non ex impetu, vel ira, vel odio, vel amore nimio, aut solâ gratia, fit. *d. c. innocens. §. illicitum. c. sacramentum. 2. qu. 4. c. sicut ex literis. 12. hic. c. 10. non est. 15. qu. 1.*

Iuramentum præstitum regulariter est servandum; si sine aternæ salutis detrimento servari possit. *c. si verò. 8. c. cum contingat. 28. hic. c. licet mulieres. 2. eod.*

*in 6. c. quamvis pactum. 2. de pact. in 6. & qui non servat, perjurus habetur. c. brevi. 17. hic. c. 14. si peccatum. 22. qu. 1.*

Maximum habetur remedium expediendarum litium, *l. 1. l. 2. l. 26. §. fin. §. hic.* confirmat dubia, & ad veritatis indagacionem pertinet: *c. 7. & jurabunt. 22. qu. 1. c. 2. animadvertendum. 22. qu. 2. c. significasti Reges. 4. hoc §. nimirum. de elect. ad Hebr. cap. 6.* sententiis & transactionibus *Voluntarium & Iudiciale* præponderat: *d. l. 2. l. duobus. 28. l. cum. 30. §. si mulier. ff. eod. novationi, l. qui jurasse. 26. §. fin. ff. eod. solutioni, l. jusjurandum ad. 27. ff. eod. acceptilationi, æquiparatur: l. jusjurandum. 40. ff. eod. probationis vim Necessarium habet: d. l. eum. & l. admonendi. & ibi Dd. ff. eod. ex delato & relato præstito actio datur & exceptio. l. si duo. 13. §. si quis. l. ait Praetor. 17. l. nam postea. 9. §. 1. & d. l. jusjurandum. 40. ff. l. cum proponas. C. eod.*

Iuramentum, quoad perjurii vinculum, ex parte jurantis est personale, & personam ejus non egreditur; neque ad heredes transit; omnino reale est ex parte recipientis, & transit ad heredes. *c. veritatis. 13. hic. & ibi Dd. c. fin. de foro compet. Guido Papa. decis. 375.*

Transit etiam ad successores, quod pertinet ad effectum obligationis, *Panorm. ad d. c. veritatis. Felin. ad c. cum sit. num. 9. de foro compet. & in quantum pertinet ad probationem. Guid. Pap. d. decis. 375.*

Perjurium committit, qui mendacium juramento firmat; qui juramentum promissorium indiscretè transgreditur; *c. 1. & 2. 22. qu. 3.* qui post juramentum profert contraria; nisi cum justa & rationabilis causa excuset: *c. fin. hic. in 6.* puta diversi intellectus in aliquo concurrant, error sit tolerabilis. *ut in c. cum dilecti. 18. de accus. vid. Gloss. ad c. fin. ad verb. justa causa. hic. in 6.*

Perjurium Deum ultorem habet: *l. 2. C. eod.* Illud tamen committens ex Legibus & Canonibus fit infamis; *c. 17. infames. 6. qu. 1. l. si quis major. C. transact. testimo-*

stimonii dicendi, *c. 14. parvuli. 22. qu. 5. c. 18. quicunque. 6. qu. 1. c. testimonium. 54. de testib. l. si cui. §. iisdem. C. de accus. collationis beneficiorum, Innoc. ad c. constitutus. in 2. vid. Panorm. ad c. querelam. ad c. cum nostris. de concess. prab. ad c. cum in cunctis. de elect. fac. c. fin. hic. in 6. fit incapax; actione in qua pejeravit, privatur; *d. l. si quis major. C. de transact. ab Ecclesiæ administratione submoveretur. d. c. querelam. 10. c. cum quidam. 12. hic. ubi Gloss.**

In foro conscientiae pro juramento temerario, unius anni; pro directo perjurio, septem annorum poenitentia imponitur. *d. c. 18. quicunque. 6. qu. 1. c. fin. 22. qu. 4.*

A perjurio tamen excusat necessitas: *c. 15. si nulla. 23. qu. 8. c. Presbyteros. 32. dist. 50. c. brevi. 17. hic.* Ea enim legem non habet. *c. si nulla. 113. de consecr. dist. 4. c. 26. discipulos. de consecr. dist. 5. c. si quis propter. 3. de furt. c. si significante. 7. vers. cum igitur. verb. quantum de pignor.*

De perjurio. *Lud. Rom. sing. 430. Gloss. ad l. iustus furtivum. ff. de his qui not. infam. & poena juramentum licitum transgredientis, cognoscit iudex secularis, c. 40. Rex. 23. qu. 5. & Ecclesiasticus: c. novit. 13. de judic. quisque in suo foro: ut & an juramentum sit licitum, nec ne: c. licet mulieres. 2. hic. in 6. alias regulariter juramenti, cum inter res spirituales sit, cognitio ad forum Ecclesiasticum pertinet, *c. fin. de foro compet. in 6. nec de eo est competens Iudex Laicus. Gloss. fin. ad c. venerabilem. ad verb. perjurii. de elect. Gloss. ad c. cum sit. de foro compet. & in c. pradicandum. 21. qu. 1. vid. Felin. ad c. praterea. n. 28. de sponsal.**

Licet juramentum omne, quod sine detrimento salutis aeternae servari potest, quamvis bonorum detrimento immineat, sit servandum; *c. si vero. 8. c. cum contingat. 18. hic. c. quamvis. 2. de pact. in 6, tamen, si ex eo contra aliquem sequeretur peccatum vel delictum aliquod, vid. Paul. Castr. conf. 122. vol. 2. super eo dispensari potest. vid. c. praju-*

*pradicandum. fin. 22. qu. 1. c. venerabilem. 34. de elect. c. 11. qui sacramento. 22. qu. 4. c. pervenit. 2. c. cum contingat. 28. cum c. seq. c. verum. 15. c. debitores. 6. c. ad nostram. 7. hic. c. licet mulieres. 2. eod. in 6. vid. Guid. Pap. qu. 224. Panorm. in quæst. qu. 2. circ. fin. vers. si ego. & c. post ejus consilia.*

Fit dispensatio ab eo qui potestatem, *c. venientes. 19. hic.* Ecclesiasticam puta, ut Episcopo, Pontifice, habet; *c. fin. de foro compet. in 6. & causâ cognitâ, Gloss. ad c. non est. 5. de voto. c. requiritis. 5. §. nisi rigor. & c. seq. 1. qu. 7. vocatis, quorum interest non absolvi. vid. Guid. Pap. decis. 225. & 140. & quæst. Tholos.*

Episcopus, non de omnibus, sed tantum de his dispensat, in quibus dubium est, an juramentum sit licitum, nec ne. *c. constitutis. 14. de testib. & attest. c. si verò. 8. c. verum. 15. c. cum quidam. 12. §. illi.* Pontifex, propter plenitudinem potestatis de omnibus, per viam commutationis, dispensationis, & totalis relaxationis. *Innoc. in c. fin. de consuet. Gloss. & Archidiac. ad c. 6. sunt quidam. 25. qu. 1.* Quia in omni juramento superioris voluntas censetur excepta. *d. c. venientes. 19. hic.*

### De exceptionibus & replicationibus.

#### TIT. XXXII.

**P**robatâ Actoris intentione, Reus condemnabitur, nisi aliquâ exceptione se defendat.

*Exceptio*, est defensio ex justa & legitima causa competens adversus id quod ab Adversario intenditur. *l. cum nondum. 4. l. siquidem. 9. cum l. seq. C. hic.*

Est summa exceptionum divisio, quod aut sunt *dilatoria*, aut *peremptoria*. *Gloss. 1. in c. exceptionem. 12. hic.*

*Dilatoria* sunt, quæ rem & judicium differunt, non tollunt. *d. Gloss. in c. exceptionem.*

Hæ rursus sunt, vel *declinatoria judicii*, vel *dilatoria solutionis*. *Gloss. ad d. c. exceptionem.*

*illa*

*illa vel ipsum Iudicem concernunt, vel litigantes, vel modum actionis instituenda.*

Quæ propter iudicem opponuntur, partim ex ipsius persona proveniunt; partim ipsius occasione.

Ex ipsius persona proveniunt; exceptio fori incompetentis, c. 3. pulsatus. 3. qu. 6. c. 48. clericus. 11. qu. 1. c. 2. si quis Episcoporum. §. exceptio. 3. qu. 6. præventionis, suspicionis, c. si quis contra. 4. c. licet. 10. de foro compet. c. quoniam. 11. de probat. c. secundò requiris. 41. §. tertio. & c. cum speciali. 61. de appell. inhabilitatis. c. 1. §. tria sunt. 3. qu. 7. c. insinuante. 25. c. cum R. 35. de off. jud. deleg. c. fin. §. & revera. 3. qu. 5. de hac vide supra tit. de iudice.

Iudicis occasione proveniunt; exceptio loci non tuti, Clem. pastoralis. §. notorium. de re jud. c. ex parte. 47. de appellat. Clem. 2. de foro comp. inhonesti, fac. l. quid tamen. si arbiter. ff. de decept. arbitr. termini angusti, c. 1. de dilat. c. ult. 2. qu. 6. feriarum. tot. tit. de feriis.

Exceptiones qua litigantes concernunt, aliæ ex personis principalibus, & vel Actore, vel Reo, vel utroque; aliæ ex accessoriis, puta procuratore; descendunt.

Ex persona actoris descendunt; exceptio non impetratæ veniæ, si agat contra personam cui reverentiam debet; c. 58. Episcopus qui mancipium. 12. qu. 2. l. 1. 2. 3. l. parentes. l. fin. ff. de in jus voc. causæ connexæ non dividendæ. Goed. ad c. 1. num. 25. de sequestr. Mind. 3. de process. 2. num. ult.

Ex persona Rei; exceptio revocandi domum; competens Legatis, tempore legationis, ex negotio ante contracto, c. ult. de foro comp. l. 2. §. legatis. ff. de judic. & studiosis; juxta Auth. habita. C. ne fil. pro patr. exceptio spoliationis, c. 2. omnes. c. nullus. 3. c. in scripturis. 4. c. fin. 2. qu. 2. c. 2. Episcopi. 3. qu. 1.

Ex utriusque, Actoris & Rei, persona: exceptio justii impedimenti, l. 1. & ibi Dd. & tot. tit. C. de dilat. Menoch. cas. 153. contumaciæ, l. 13. §. 1. & seq. C. de judic. vide

Old. in Enchir. Except. except. contumac. cautionis, tot. tit. ff. qui satisfac. cog. Zang. 2. de except. 21. inhabilitatis.

Actor dicitur inhabilis, vel *in totum*, vel tantum certo modo.

*In totum*; si minor viginti quinque annis, nec tutoris vel curatoris auctoritatem adhibeat; l. 1. & 2. C. qui legit. pers. l. clarum. 4. C. de auct. prast. si mente captus, furiosus, l. fin. C. de curat. furiosi. mutus, surdus, prodigus, puta per sententiam declaratus; Vant. de nullit. ex def. habil. num. 23. & seq. servus, l. servus. C. de judic. nisi certis casibus, relatis in l. vix. 53. & ibi. Gloss. & Dd. ff. eod. excommunicatus, c. exceptionem. 12. hic. c. discernimus. 8. de sent. excomm. in 6. religiosus, propter ration. text. in c. fin. in princ. de testam. in 6. nisi utilitate vel necessitate id exigente, pro dignitate, officio, aut obedientia ipsi commissa; c. cum deputati. 16. de judic. Clem. religiosus. de procur. c. 35. Monach. 16. qu. 1. c. un. & ibi Dd. Ext. de Syndico.: Magistratum, puta majorem, qui cum imperio; non minorem, qui sine imperio; l. pars literarum. 48. ff. de jud. illustris persona. l. 25. cum Auth. seq. & ibi Dd. C. de procur.

Certo modo inhabilis est filiusfamilias, absque assensu patris; c. fin. in fin. de judic. in 6. l. fin. circa princ. vers. necessitate. C. de bon. qua lib. ubi Bald. Salic. nisi causa sit castrensis vel quasi, l. lis nulla. 4. & ibi Gloss. ff. de judic. spiritualis, c. 3. de judic. in 6. pro dote adventitia, juxt. Auth. quod locum. C. de collat. experiatur; patris absentis consensus sine filii incommodo expectari non possit. l. si longius. 18. §. 1. ff. de judic. l. cum filiusfamilias. 17. ff. si cert. pet.

Reus etiam dicitur inhabilis, vel *in totum*, vel certo modo.

*In totum*; si minor viginti quinque annis, mutus, surdus, furiosus, prodigus, servus, per jura in actore allegata. excommunicatus. c. cum inter. 5. hic. c. intelleximus.

*mus. 7. & ibi Gloss. de judic. c. dilecta. 10. hic. c. si ve-  
rè. 34. de sentent. excomm.*

*Certo modo inhabilis dicitur Reus, si Magistratum cum imperio gerat, & causa sit civilis: d. l. pars. 48. ff. de judic. non si criminalis; l. jubemus. C. ad leg. Iul. repet. l. nulli. C. quor. appell. non recip. Novel. 86. cap. 4. Non si minorem Magistratum gerat: d. l. nec Magistratibus. 32. ff. de jurejur. Est & inhabilis filiusfamilias; si de adventitiis, in quibus patri est usufructus, & profectitiis bonis agatur; nam tum pater conveniendus: l. ult. C. de bon. qua lib. In aliis causis, etiam ex delicto descendentes, absque patris assensu conveniri potest. l. tam ex contractibus. 57. ff. de judic. l. filiusfamilias. 39. ff. de obl. & action.*

*Ex procuratoris persona exceptio descendit procuratoria, quâ vel contra procuratoris personam, vel contra ejus mandatum excipitur.*

*Contra ejus personam, quod procurator esse prohibeatur. quis autem prohibeatur, vide supra tit. de procurat. & in Aphorismis nostris ad Digesta, & in Enarrat. Codicis. eod.*

*Contra mandatum; quod nullum habeat, c. in nostra. 4. de procur. l. licet. 24. C. eod. vel habeat quidem, sed non legitimum, c. 1. eod. c. procurator. 38. de elect. in 6. vel mandatum tantum habeat generale, cum in negotio speciale requiratur. c. qui generaliter. 5. de procur. in 6.*

*Exceptiones modum actionis concernentes, sunt, quod libellus sit ineptus, incertus, c. examinata. 15. de judic. ante tempus, & conditionem, & plus quam debetur, petitum. c. un. de plus petition. l. un. 6. eod.*

*Exceptiones dilatoria solutionis possunt esse, per quas debiti solutionem quis in aliud, quam petatur, tempus esse differendam proponit; ut si pactum sit de non petendo, nisi post annum; si creditor usuras debiti pro futuris annis acceperit; l. qui in futurum. 57. ff. de pactis. si à*  
Prin-

Principe, ne, nisi post quinquennium solvere teneatur, impetraverit; *l. universa. C. de precip. Imp. offer. l. fin. C. qui bon. ced.* si cum juratoria cautione ob inopiam à iudicio & actione petitionis sit relaxatus. *c. Odoardus. 3. vers. mandamus. de solut.*

*Peremptoria exceptiones* sunt, quæ in totum jus & agentis intentionem perimunt. *Gloss. in d. c. exceptionem. 12. hic.*

Tales sunt, exceptio transactionis, *c. fin. de transact. c. fin. eod. in 6. l. postquam liti. C. de pact. præscriptionis; juramenti, maximè dilatorii, c. 1. de litis contest. in 6. Ias. ad l. ait Prætor. junct. l. nam & postea. ff. de jurejur. c. et si Christus. 26. eod. c. veniens. 15. de accusat. pacti juramento firmati, c. licet mulieres. 2. de jurejur. in 6. c. quamvis pactum. de pact. in 6. rei judicatæ, ab eo puta qui judicandi potestatem habuit; c. at si clerici. 4. de judic. l. res judicata. ff. de div. reg. jur. l. 4. §. condemnatum. ff. de re jud. si quid contra leges, canonesve, *l. non dubium. C. de legib. l. Iuris gentium. §. Prætor. ait. ff. de pact. aut vi, metu, tit. ff. C. & Decret. quod metus. caus. dolo, l. si pactum. 6. C. hic.* actum dicatur; si agenti quod sua non interfit agere, objiciatur. *In decis. Capell. Tholos. 68. ibi: quinta regula.**

Harum quædam dicuntur *peremptoria litis finitæ*; quædam *simpliciter peremptoria.*

*Illæ* sunt quæ impediunt litis ingressum, & adversus agentem omni tempore, *c. 1. de litis cont. in 6. vel ipso iudicii limine, c. 2. 3. qu. 6.* opponi possunt. *Qualis est transactionis, jurisjurandi, & rei judicatæ exceptio.*

*Hæ* litis ingressum non impediunt, sed post litem contestatam, in quacunque litis parte, ante sententiam, non post, nisi certis casibus, ut de sententiæ nullitate vel manifesta iniquitate, *Gloss. & Dd. in l. 1. C. de jur. & fact. ignor. debent opponi. l. 2. C. sent. resc. non posse. l. præscriptionem. C. de except. c. cum in tua. qui matr accus. poss.*

Di-

*Dilatoria exceptiones, si declinatoria iudicii, ab initio & in liti ingressu proponi debent, alioquin omiffæ non repetuntur; ut neque quæ contra iudicem, vel ejus incompetentiam proponuntur, quæ defensionem præcedere debent. c. inter monasterium. 20. ubi Gloss. ad verb. subeundo iudicium. de sent. & re iudic. l. pen. & l. ult. C. hic. l. 19. C. de probat. c. pastoralis. 4. hic. c. 2. si quis Episcoporum. §. exceptio. 3. qu. 6. c. si testis. §. item si quis. 4. qu. 3. c. 1. §. nullum. vers. cujus in agendo. 3. qu. 8. l. apertissimi. & l. cum specialis. ff. de iudic.*

*Dilatoria exceptiones solutionis post libellum oblatum ante litem contestatam intra terminum à iudice assignatum, quodocunque opponi possunt. c. pastoralis. 4. hic.*

Post liti tamen contestationem quandoque dilatoriæ opponi possunt; puta, si de novo sint ortæ; *c. insinuante. 25. de off. iud. deleg. c. pastoralis. 4. hic. & ibi Coler. num. 8.* Si ante quidem natæ, verum post lites contestationem demum ad excipientis notitiam pervenerint; *ut in c. nostra. 4. de procurat. d. c. pastoralis. 4. ubi Coler. num. 9.* Si iudex parti ejusdem exceptiones reservarit; *c. ad dissolvendum. 13. despons. impub. continuu tractum eæ habeant; Coler. d. c. pastoralis. num. 11.* Si est exceptio excommunicationis, *c. exceptionem excommunicationis. 12. hic. puta majoris, c. 1. eod. in 6.*

Potest iudex terminum, intra quem exceptiones omnes necessario proponi debeant, assignare. *d. c. pastoralis. Hostiens. in Sum. num. 3. hic. Specul. de except. §. 3. num. 4.*

Regulariter exceptiones omnes sunt perpetuæ. *l. 5. ult. ff. de doli except. l. 5. l. 6. C. hic.*

Inducunt oppositæ liti contestationem. *ut vult Innoc. ad c. cum venerabilis. 6. num. 1. hic.*

Qui excipit, non propterea confitetur agentis intentionem, cum eidem non solum unam, sed & plures exceptiones, etiam contrarias proponere liceat; quas, si legitur

giramæ

gitimæ fuerint, si Iudex non admiserit, potest appellari; Iudex verò punitur. *d. c. cum venerabilis. 6. hic. c. exceptionem. 63. de reg. jur. in 6.*

Contrariæ exceptionibus sunt *Replicationes*. Nam quomodo exceptio actionem, ita replicatio exceptionem enervat.

Denique quemadmodum replicatio exceptionem, ita replicationem duplicatio, duplicationem triplicatio, triplicationem quadruplicatio, & ita deinceps, excludit. *l. 2. ff. hic. & tit. Inst. de replicat.*

Quæ tamen multiplicatio hoc jure non admittitur, saltem quod ad testes antea productos attinet, quos tertio refutare non licet; ne nimium iudicium extrahatur. *c. licet. 49. de testib. & attest. ubi latè Fanorm.*

Habet replicatio tum rectè locum, quando Reus exceptionem suam contra actoris intentionem opponit. *arg. c. ad dissolvendum. 13. ubi Gloss. & not. in verb. accusari. de despons. impub.*

In quacunque parte iudicii opponi potest, *Gl. & Dd. l. 2. §. 1. ff. de except.*

Ut reus non tenetur probare suam exceptionem, antequam fundaverit actor suam intentionem: Ita hic contra non tenetur probare replicationem, nisi reus probaverit suam exceptionem; & sic deinceps. *Spechl. in §. nunc dicendum. vers. replicationes. sub. tit. de exception. Summa enim æqualitas in iudiciis semper est servanda. c. non licet. 32. de reg. jur. in 6. & in c. novit. 13. de judic. & in c. cum inter. 5. hic.*

Tempus ad replicandum, duplicandum, triplicandum, &c. in arbitrio Iudicis consistit.

### De Præscriptionibus.

#### TIT. XXXIII.

**Q**uia in iudiciis, sive in personam, sive in rem agatur, usucapionis, vel præscriptionis solet opponi exceptio: ideo de præscriptionibus hoc loco tractabimus, præ-

præfertim quia præscriptionis exceptio est litis finitæ exceptio, ac non secus quàm exceptio transactionis, aut rei judicatæ ad impediendam litis contestationem opponi solet. *l. fin. ubi Castr. ff. pro suo.*

Est *præscriptio* adjectio domini, per continuationem possessionis temporis Lege definiti, *l. 3. ff. de usucap.*

Definiri etiam, à fine & effectu, potest, jus quoddam ex tempore continuæ possessionis rerum mobilium & immobilium, & interdum domini utilis, interdum utilis actionis, aliquando legitimæ exceptionis causam tribuens. *c. 16. qu. 3. per tot. Hostiens. tit. de præscript. rer. immob.*

Quod tempus variè à jure pro varietate materialium circumscriptum; unde & diversæ præscriptionum species.

Nam quædam est *triennalis*, in rebus mobilibus; §. 1. *Inst. de usucap.* quædam *quadriennii*, ut cum à fisco res emuntur; *l. 1. & tot. tit. C. de quadr.* quædam *decennii*, videlicet in rebus immobilibus & incorporalibus, ut servitutibus, inter præsentibus; quædam *vicennii* inter absentes; *tot. tit. C. de long. temp. præscr. §. 1. Inst. de usucap. l. pen. C. de usufr. l. pen. C. de servit.* quædam *annorum triginta*, cum quis sine titulo longissimâ possessione rem adipiscitur; *l. 8. & tot. tit. C. de præscript. 30. annor.* quædam *quadraginta*, ut in rebus Ecclesiæ præscribendis; *Auth. quas actiones. C. de SS. Eccles. c. 4. c. ad aures. 6. c. 7. hic.* quædam *centenaria* aut tanti temporis, ut de ejus initio non extet memoria; ut in rebus Ecclesiæ Romanæ, *c. ad audientiam. 13. cum. cc. seqq. hic. Novel. 10. regalibus. c. super quibusdam. 26. de verb. signif. & ibi Canon.*

In præscriptione contra Ecclesiam Romanam, schismatum tempora quamdiu perseveraverint, non numerantur; Quia Ecclesia eo tempore videtur legitimo defensore carere. *c. placuit. 1. c. cum vobis. 14. de quar-*

*ta. 4. c. auditis. 15. hic. c. 1. & fin. ne sede vacante quid innov.*

Actionibus omnibus spatio triginta annorum præscribitur, ita ut exceptione elidantur, *l. 3. l. 4. l. 8. C. de præscr. 30. annor. nonnullis tamen quadraginta annis, d. l. 4. l. 7. l. fin. C. eod.* quibusdam uno anno, sicut actioni injuriarum; *l. 5. C. de injur.* aliis biennio, ut actioni doli; *l. fin. C. de dolo mal.* aut quinquennio, ut inofficiosi querelæ, *l. 34. de inoff. test.* aut quadriennio, ut restitutioni in integrum. *l. fin. C. de temp. pet. rest. in integ.*

Ad præscriptionem perficiendam requiruntur quinque: 1. *Ut res præscribi possit*; 2. *Bona fides*; 3. *Titulus justus*; 4. *Continuata possessio*; 5. *Ut possessio suo, non alieno nomine, contingat.*

*Res præscribi possunt*, quæ sunt in commercio & possideri possunt.

Quæ possideri non possunt, cum præscriptio absque possessione non inducatur, *c. sine possessione. 3. de reg. jur. in 6.* præscribi non possunt. Hinc publicæ functiones Ecclesiæ, res publicæ, primitiæ, decimationes, à Laicis; omnino Clericis: *c. causam. 7. hic. c. antepen. §. quod si privatus. 16. qu. 3.* provinciæ, parochiæ; diœceses certis limitibus distinctæ, omnino; *c. 5. licet. 16. qu. 3. c. cum causam. 13. de probat. c. super eo. 4. de paroch. à visitatione, subjectione aut procuratione solvenda immunitas, c. accedentes. 11. hic.* præscribi non possunt.

Nec etiam, contra quam olim, præscriptio in matrimonio illegitimo; *c. non debet. 8. ubi Gloss. de consang. & affin.* aut voto, *can. 4. quod Deo Patri. 33. qu. 5. c. sicut nobis. 1. de regular. & transf.* aut iis, quæ quis alieno nomine possidet, *c. si diligenti. 17. hic.* locum habet.

*Bona fides* est, ut not. *Gloss. in d. c. si diligenti. 17. hic.* credulitas, quâ quis putat tradentem esse dominum,

num, vel jus distrahendi habere, licet in facto erret.

Ea hoc jure, per totum præscriptionis tempus necessaria est. *c. ult. hic. c. possessor. 2. de reg. jur. 6.*

Malæ fidei possessor nullo unquam tempore præscribit. *d. c. possessor. c. si diligenti. 17. & c. veniens. 19. hic.*

Sola bona fides ad præscriptionem non sufficit, sed & justus titulus requiritur; quia sicuti ex temporis tractu non tollitur aliquod jus, ita & non constituitur. *c. dudum. 31. de decim. l. obligationum. 44. ff. de oblig. & action.*

*Titulus*, est justa possidendi, quod nostrum non est, causa. *Gloss. & Dd. in d. c. si diligenti. per illum text.*

Justus dicitur, qui si à Domino fuisset habitus, dominium potuisset transferre. Cujusmodi sunt tituli solutionis, emtionis, transactionis; hereditatis, occupationis, apprehensionis rei pro derelicto habitæ, legati, dotis, pro suo. *De quibus vide Aphorismos nostros in Digesta. hoc. tit. & seqq.*

Hic tamen in præscriptione quadraginta annorum, in qua bona fides sufficit, necessarius non est; nisi jus commune aut præsumtio præscribenti adversetur. *c. 1. hic. vid. Covarr. var. resol. lib. 1. cap. 17. num. 7.*

Præter titulum ad præscriptionem requiritur possessio, *c. sine possessione. 3. de reg. jur. in 6. aut quasi, ut in corporalibus, l. sequitur. 4. §. si viam. 27. ff. de usucap. eaque continuata per tempus Lege definitum. l. 25 ff. eod.*

Si ea interrupta præscriptio ad nihilum reducitur, & priore nihil commodante, de novo est inchoanda. *vide Panorm. Felin. in c. ex transmissa. 10. hic.*

Interrumpitur, vel naturaliter, quia possidere possessor desit; vel civiliter, per citationem solennem, denunciationem, litis contestationem. *l. mora. 26. C. de rei vend.*

Interruptio, quia facti est, probari debet; *l. asseveratio.*

*C. de non num. pec. quod & per testes singulares fieri potest. secund. Dd. Felin. in c. illud. 8. num. 12. hic. Bald. in tract. de præscript. 3. part. 6. & ult. part. qu. 3. num. 45.*

Possessio autem continua non sufficit ad præscriptionem, nisi rem possessor sciat se suo nomine, sive per se, sive per alium possidere.

Alio enim si possideat, ut is qui precarias ab Ecclesia consecutus, *can. 11. Clerici quilibet. & c. seq. si Episcopus. 16. qu. 3. can. 72. sepe fit. 12. qu. 2. colonus, emphyteuta, vasallus, non præscribit. l. 2. C. de præscr. 30. annor. l. 7. §. 1. ff. com. div. d. c. si diligenti. 17. hic.*

Perfectâ præscriptione dominium, quia justum inducit titulum, *c. de quarta. 4. hic. c. 1. eod. in 6. acquiritur, sic, ut ejus exceptione præscribens non modò adversus agentes muniatur, sed & ipsam rem à Domino antiquo vindicare possit: l. 8. in princ. C. de præscr. 30. ann. Guid. Pap. decis. 416. num. 15. Socin. in c. olim. num. 19. de litis cont.*

### *De sententia & re judicata.*

#### T I T. XXXIV.

**C**ognito Actoris & Rei Iure Iudex ad sententiæ pronuntiationem procedere debet. Quod æquitati & juris rigori convenit. *c. 2. hic.*

Est *sententia*, judicialis diffinitio, controversiæ finem imponens, condemnationem vel absolutionem continens. *c. ei qui appellat. 41. §. diffinitiva. 2. qu. 6.*

Est alia *Interlocutoria*, alia *Diffinitiva*.

*Illa* est, quæ inter principium & finem causæ super aliquo incidenti, vel emergenti, ut super libello ferendo vel corrigendo, dilatione danda, vel deneganda, similibusque exceptionibus, profertur. *c. significantibus. 49. de appellat. c. significaverunt. 36. de testib. & attestat. c. cum olim. de offic. jud. deleg.*

Dicitur *interlocutoria* à modo ferendi; quod summarie  
inter

inter partes interim, & dum expectatur iudicium diffinitivum, feratur. *c. quod ad consultationem. 15. hic.*

Est ratione causæ principalis, quæ adhuc non determinatur, interlocutoria; ratione verò negotii emergentis, de quo fertur, diffinitiva potest dici. *Felin. ad rubr. hic. num. 2.*

*Diffinitiva sententia* est, quæ causæ principali omnino finem imponit per condemnationem vel absolutionem. *c. 2. hic. c. 70. summopere. 11. qu. 3.*

Absolutionem, vel condemnationem, si expressè, vel verbo æquipollenti, *c. in his qua. 15. de verb. signif. l. 59. in princ. ff. hic.* non contineat, non valet. *c. ult. §. diffinitiva. 2. qu. 6. l. 3. C. de sent. & interloc.*

Inter utramque sententiam & ea est differentia: Quod *Interlocutoria*, quandoque ante sententiam ab eodem iudice revocari potest, licet ab ea non sit appellatum: *l. quod iussit. 14. ff. hic. c. cum cessante. 60. de appellat. Diffinitiva* ab eodem iudice retractari aut corrigi non potest. *l. Paulus. 53. l. Iudex. 55. ff. hic. l. Divi fratres. 27. ff. de pœnis. Interlocutoria*, nisi à summo Pontifice sit interposita, nec scribi, nec ex scripto recitari debet: *Gloss. & Philip. Franc. in c. fin. hic. in 6.* quamvis hoc fieri melius sit. *c. quoniam. 11. de probat. Debet Diffinitiva. tot. tit. C. de sent. ex brev. recit.*

Fertur sententia vel à *Iure*, seu *Canone*, seu *Lege*; vel à *Iudice*, vel ab *Arbitro*.

*Ius* sententiam dicitur ferre, cum Canon, aut Lex statuit, ut qui tale aliquid commisit, tali pœnâ habeatur condemnatus.

Quæ interdum ipso jure & facto, sine alia iudicis declaratione, tanquam lata, incurritur; *ut in c. fin. de cons. in 6. c. à nobis. 21. de sent. excomm. c. 29. si quis suadente. 17. qu. 4. c. non dubium. 5. c. veniens. 16. c. de Monialibus. 13. de sent. excomm. c. licet Episcopus. 18. de concess. præb. in 6. c. cum nostris. 6. eod.* interdum non nisi cum declarationibus iudicis; ut in omnibus fere pœnis à jure impositis.

*Judex* is fert sententiam, qui jurisdictionem habet in quæstione proposita. Nam à non competente judice sententia lata, ipso jure non valet. *c. at si clerici. 4. de judic. c. ad nostram audientiam. 3. de consuet.*

Plures si Judices sunt competentes, omnes simul sententiam ferre debent, nisi quis per contumaciam absens sit: valet enim nunc sententia præsentium: *c. prudentiam. 21. §. abjicimus. de offic. jud. deleg.* vel nisi unus de mandato aliorum pronunciet: vel nisi in commissione contineatur, quod unus possit sine alio procedere. *l. item si unus. 17. §. fin. ff. de recept. arbitr.*

Quæ etiam obtinent in Arbitris: qui etiam sententiam ferre dicuntur. *tot. tit. ff. & C. & Decret. de arbitr. l. 3. C. de sent. & interl. om. jud.*

Dici sententia à judice debet, de omnibus quæ veniunt in controversiam; si quidem ei de negotio liqueat; in dubiis enim non potest quicquam neque de jure, neque de facto statuere: *c. 74. grave. 11. qu. 3.* sed debet judicium suspendere, vel ad superiorem, ut summum Pontificem, negotium referre, *c. denique. 3. §. quod si quælibet. 6. qu. 3. c. de libellis. §. nam si tale. dist. 20.* litigantibus consultationis & relationis exemplo communicato. *c. intimasti. 68. de appell. l. 1. §. fin. l. 2. C. de relation.*

Ferenda est sententia de eo quod petitur, non de alio, *l. 1. & 2. C. si à non comp. jud.* ut sententia sit libello conformis. *c. licet Heli. 31. de simonia. c. qualiter. 24. §. ad corrigendos. in fin. de accusat. Clem. sæpe. §. verum quia. de verb. signif. c. consultationibus. 10. de off. jud. deleg. c. ex parte. 32. de rescript. c. 2. 3. qu. 9.*

De absentis & inauditi causa sententia regulariter ferri non potest; *c. inter quatuor. 8. de major. & obed. l. absentem. C. de pœnis.* nisi is prius contumax fuerit declaratus. *d. c. inter quatuor. d. c. consultationibus.*

Debet sententia, ut valeat, maturâ deliberatione adhibitâ, & absque præcipitatione, *c. 70. summopere. 11. qu. 3.*

qu. 3. c. quoniam contra. 11. de probat. c. 4. Apostolica. 35.  
 qu. 9. juxta sacrorum Canonum si causæ sunt Clericorum  
 & spirituales, c. quod Clericis. 9. de foro compet. c. pen.  
 & fin. de secund. nupt. si temporales & seculares, se-  
 cundum legum decreta, c. 1. & 2. de oper. nov. nunc.  
 fac. tot. 10. dist. apud Gratianum. ferri: c. 1. & c. ne  
 innitaris. 5. de constit. c. 1. hic. c. Iudices. 4. §. bonus  
 Iudex. 3. qu. 7. si Canon vel Lex deficiat, judicium  
 judicis arbitrio relinquitur. c. unaquaque. 3. §. fin. 13  
 qu. 2.

Contra jus litigatoris facta sententia valet quidem ipso  
 jure, sed per appellationem suspendi, l. 2. C. quand. prov.  
 non nec. vel in integrum restitutionem, sine alio extraor-  
 dinario remedio, rescindi potest.

Debet & judex in dicenda sententia animadvertere, ut  
 non ad acclamationes populi, c. ad nostram audientiam.  
 3. de consuet. c. Osius. 2. de elect. sed ex jure, & juris ordine  
 servato, c. fin. 2. qu. 6. c. in causis. 19. hic. & in scriptis,  
 per se, c. fin. hic. in 6. c. 7. in primis. §. fin. 2. qu. 1. sedens,  
 d. c. fin. §. fin. hic. in 6. certam, l. in sententiis. 58. ff. hic.  
 l. 1. & 2. C. de sent. qua fin. cert. quant. libello, c. 1. &  
 2. de libell. oblat. aut, si inter partes conveniat, conven-  
 tis conformem, c. 2. de pact. c. 1. de transact. l. si conven-  
 rit. 26. ff. de judic. die juridica, c. 1. de feriis. in loco con-  
 stituto, c. fin. de rescript. l. si ut proponis. C. quom. &  
 quand. jud. l. si cum dies. §. si arbiter. ff. de recept. arb. pu-  
 blicè, c. consuluit. 24. de offic. jud. deleg. l. cum sententiam.  
 6. C. de sent. & interloc. purè non sub conditione, c. 29.  
 biduum. §. quid ergò. 2. qu. 6. secundum allegata & proba-  
 ta, c. si Sacerdos. 2. de offic. jud. ord. eam ferat: Citatis ad  
 hoc litigatoribus; vel tribus Edictis, vel uno peremptorio,  
 trium tamen tempus, integrumque spatium in se conti-  
 nente. c. 1. de caus. poss. & propriet. Lansfr. in c. quoniam.  
 verb. citationes. num. 7. de probat. & c. cum olim. 34. de  
 testib. & attest.

Sententia, recte lata, post decem dies, si ab ea non fue-

rit appellatum, transit in rem judicatam: *c. quod ad consultationem. 15. §. taliter. hic.* & actionem & exceptionem producit. *c. 1. c. 2. loci nostri. 35. qu. 9. c. cum inter. 13. hic.*

In rem judicatam non transit sententia, quæ impugnari potest: ut est ea, quæ contra matrimonium, *c. lator. 7. & ibi Gloss. ad verb. permanere. c. tenor. 10. c. consanguinei. 11. hic. & ibi Panorm. & ad c. ex litteris. n. 12. de cons. & affin.* aut pro matrimonio, in gradu prohibito contracto, lata: *d. c. consanguinei. & c. tenor. fac. c. fin. c. videtur. 3. qui matrim. accus. poss.* quæ à judice, per sordes aut imperitiam magnam, dicta; puta quoad judicem non transit ea in rem judicatam, omnino quoad partes. *Bart. ad l. 1. num. 9. ff. quod quisque. jur. Alex. ibid. num. 19. Angel. num. 3. Franc. ad c. sape. num. 43. & seq. de appell.*

Talis judex, si per sordes male judicavit, parti læsæ tenetur in litis æstimationem; *l. fin. C. de poen. jud. mal. jud. ubi Gloss. Salic.* si per imperitiam, in factum actione convenitur, & in quantum judicantis religioni visum fuerit, condemnatur; *l. si Index. 6. ff. de var. & extr. cogn. l. 15. ff. de judic.* & insuper ex hoc jure ab executione officii per annum suspenditur: interim à divinis arcetur; si iis se ingesserit, irregularitatis laqueo innodatur; à quo non nisi per Pontificem summum liberari potest. *c. 1. hic. in 6.*

### De executione rei judicate.

#### T I T. XXXV.

**V**T ante sententiam *Executio* fieri non debet contra debitorem, *c. significante. 69. de appell. l. 1. C. de execut. rei jud.* sic contra, postquam sententia lata est, maximè si transierit in rem judicatam, *Executio* differri non debet: *c. 3. sicut. 2. qu. 1.* non obstante exceptione, *d. c. sicut. quæ* puta in continenti probari nequit. *c. veniens. 38.*  
de

*de testib. & attestat. c. literas. 12. de restit. spol. l. 3. §. ibidem. ff. ad exhib.*

Fieri debet executio ab eo Iudice, qui sententiam tulit; sive Ordinario, *c. si quis contra. 4. §. fin. de foro comp.* sive Delegato; *c. significasti. 7. de offic. jud. deleg.* Qui & Ordinario sententiam suam exequi mandare potest: *c. pastoralis. 28. §. quia verò. de offic. deleg. c. de catero. 5. de sent. & c. jud.* Isque eam executioni mandabit, licet ipsi videatur injusta. *d. c. pastoralis. 28. §. quia verò.* non si nulla. Tum enim quæstionem ad iudicem, qui sententiam tulit, deferet. *d. c. de catero. 5.*

Fit executio aliter in *actione personali*, aliter in *actione reali*.

In *Reali* facienda statim post decendium; *c. cum Bertholdus. 18. eod. c. cum dilectus. 32. de elect. c. significaverunt. 36. de testib. & attest.* In *personali*, non nisi post emensa quatuor mensium spatia. *c. quarenti. 26. de offic. jud. deleg. c. quod ad consultationem. 15. de sent. & re jud.*

Quod tamen quadrimestre tempus nonnunquam perforarum locorumque qualitate, & aliis circumstantiis consideratis, arctari extendique à Iudice potest. *d. c. quod ad consultationem. l. 2. ff. de re jud.*

Executionem aliter facit *Iudex secularis*, aliter *Ecclesiasticus*.

*Ille*; primò bona mobilia & se moventia capi jubet; secundò immobilia; tertio ad nomina, sive jura, id est, ad ea quæ debentur condemnato, modò sint liquida & confessa, pervenit; si dare recusat, manu militari cogit. *vid. l. à Divo Pio. 15. ff. eod. l. qui restituere. 68. ff. de rei vend.*

*Hic*; pro conditione & statu personæ victæ, vel suspendit, vel deponit, vel excommunicat; vel degradat: si ea censura Ecclesiasticæ non paret, brachium seculare implorat. *c. cum nobis ab homine. 10. de judic.* Iudicem secularem auxilium denegantem excommunicat. *c. 1. de offic. jud. ord. Dd. in c. quoniam. 14. eod. c. statuimus. 2. de maledic.*

Qui executionem injustam putat, precibus, non vi tentare debet, an ea, donec superior Magistratus consulatur, differri possit. *c. si quando. 8. c. pastoralis. 28. §. quia verò. de offic. deleg.*

### De appellationibus.

#### T I T. XXXVI.

**Q**uia, ut diximus, sententia à qua appellatum, non transit in rem judicatam, nec propterea executioni tradi debet; *c. venientes. 19. de jurejur.* cum propter superioris auctoritatem, tum etiam quia nihil est post appellationem innovandum; *c. dilecti & 52. hic. tot. tit. nihil appell. pend. innov.* ideo de Appellationibus dicemus.

Est appellatio, à minore Iudice ad majorem, ratione gravaminis, facta provocatio. *c. 1. c. 28. anteriorum. 2. qu. 6.*

Est vel *Judicialis*, vel *Extrajudicialis*. *Clem. 3. hic.*

Hæc est, quæ extra judicium ad superiorem, vel ab instanti, ut quia beneficium alteri in præjudicium meum collatum; *c. concertationi. 8. eod. in 6. vel à futuro gravamine*, ut ne fiat electio, postulatio, beneficii collatio; *c. consideramus. 10. c. cum nobis. 19. c. auditis. 29. de elect. in possessione mea turber; c. bonæ. 51. hic. suscipitur. not. in d. c. bonæ. 51.*

Hoc enim jure à quocunque gravamine, etiam extrajudiciali, rectè appellatur. *c. 3. & c. super. 12. eod. c. concertationi. 8. eod. in 6. c. 18. non ita. 2. qu. 6.*

Est extrajudicialis appellatio dupliciter consideranda: primò, quando non à iudice appellatur, sed à parte extra judicium; *d. c. bonæ. 51. ubi Dd. secundò*, quando à iudice procedente extrajudicialiter appellatur. *Philip. Franc. in d. c. bonæ. num. 7.*

Facienda hæc appellatio ad Iudicem Ordinarium, coram quo, cum ordinariâ viâ est litigandum, adversarius est vocandus; non ad Iudicem appellationis; *c. cum sit*

*fit Romana. §. si verò. hic. Gloss. ad d. c. concertationi. 8. ad verbum gravatum. eod. in 6. Panorm. in c. dilecti filii. num. 7. hic. Quippe ea nihil aliud est, quam ad causam provocatio; d. c. cum sit Romana. Panorm. in d. c. dilecti filii. num. 4. ut non tam appellatio, quam provocatio sit appellanda. d. c. cum sit Romana. §. si verò.*

*Iudicialis appellatio, est quæ in iudicio, de his quæ in illud veniunt, vel circa illud accidunt, ante vel post sententiam definitivam, à minore iudice ad majorem interponitur. c. significante. 34. c. Rodolphus. 35. de rescript. d. c. cum sit Romana. §. d. c. super. 12. hic.*

*Ante sententiam definitivam, cum ab interlocutoria, c. significante. 34. cum 6. seqq. de rescript. vel alio gravamine; ut si quis citetur ad locum non tutum, c. accedens. 4. ut lite non contest. vel ad diem breviori termino constituto; c. 1. de dilation. provocatur.*

*Siquidem hoc jure ab omni onere appellari potest. d. c. super. 12. c. cordi. 1. hic. in 6. Clem. appellanti. §. eod. c. ut debitus. 59. c. cum speciali. 61. & passim. hic. Quippe appellatio species est defensionis, & in innocentia præsidium comparata. d. c. cum speciali. 61. §. porro. hic.*

*Sed hoc, Concilio Tridentino est emendatum, admittente, secundum normam Juris civilis, appellationem ab eaduntaxat interlocutoria sententia, quæ vim habet definitivæ, vel cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequit. Sess. 24. de reformat. cap. 20.*

*Post sententiam definitivam, cum ab ipsa, vel ejus executione appellatur. l. ab executore. 4. ff. hic. l. ab executione. C. quor. app. non recip. Si quidem in ea modus excedatur. d. l. ab executore. c. quod ad consultationem. 15. de sent. & re jud.*

*Appellare possunt sive suo, sive alieno nomine, ut quia mandatum habent, negotium alienum gerunt; omnes, quorum interest, non fuisse ita judicatum, vel extra iudicium aliquid actum, sive in sententia contineantur, sive non. c. 30. non solent. c. 28. anteriorum, c. 3. omnis*

*oppressus. 2. qu. 6. c. ut debitus. 59. hic. c. ult. §. fin. ut lite pend. c. interposita. 70. §. eidem. c. significante. 69. hic.*

Non qui condemnatus ob contumaciam veram, *l. 23. §. fin. ff. hic. l. 53. ff. de re jud. cas. in c. ut inquisitionis. 18. de hæretic. in 6. ob manifestum crimen, c. cum sit. 5. §. fin. c. pervenit. 13. hic. qui de crimine confessus & convictus, l. 2. C. quor. appell. non recip. l. non tantum. 6. ff. hic. qui se à iudice non provocaturum juravit; c. questioni. 21. hic. ubi Gloss. sententiam quoquomodo probavit; c. gratum. 20. de offic. jud. deleg. qui adversarii appellationi in eadem causa non detulit. c. constitutis. 23. c. an sit. 42. hic. c. bona. 36. de elect. c. fin. de immun. Eccles.*

Appellari debet ab inferiore iudice, gradatim, *c. dilecti. 66. hic. c. duo simul. 9. de offic. & pot. jud. ord. c. Romana. 3. §. ab Archidiaconis. hic. in 6. ad superiorem, c. 28. anteriorum. c. 9. placuit. 2. qu. 6. fac. c. cum inferior. 16. de major. & obed. Gl. ad c. 2. verb. officiali. de consuet. in 6. non parem; d. c. anteriorum. §. illo videlicet. Nisi consuetudo eum in eo casu fecerit majorem. Ioann. Andr. ad c. Romana. 3. hic. in 6.*

Sic appellatur à subdito ordinario Episcopi ad Episcopum. *c. 3. §. 1. hic. in 6. c. à collatione. 11. eod. in 6. ab Officiali generali Episcopi, & ab Episcopo ad Archiepiscopum, c. 2. de consuet. in 6. c. 3. hic. in 6. à concilio Archiepiscopali ad Primate. c. 9. placuit. 2. qu. 6. c. 3. si inter. 6. qu. 4. c. 34. Presbyteri. 11. qu. 3.*

Ad Papam, ut & ejus Legatum, *c. 1. de offic. legati. omnes appellare possunt, etiam intermissis mediis, c. 45. Metropolitanum. 2. qu. 7. c. 4. si quis vestrum. c. 5. omnes. c. 6. ad Romanam. c. 7. si quis putaverit. c. 10. ideo huic. c. 11. decreto. 2. qu. 6. non tamen à seculari iudice; nisi is de temporali Ecclesiæ Romanæ jurisdictione sit. c. si duobus. 7. §. fin. hic.*

Ad Papam tamen si facta appellatio, *juxta formam. c. statutum. 11. de rescript. in 6. ejus causa non in Curia Romana.*

mana.

mana debet agitari: sed in partibus seu locis litigantium cognoscenda & determinanda delegari. *c. quâ fronte. 25.* & *ibi Dd. hic.* Nisi propter defectum justitiæ, aut justum metum summo Pontifici probatum, partibus delegari non possit. *in Concil. Basileensi. §. si verò quippiam. de caus. in pragmat. sanct.*

Appellari non potest à Papa, *c. ipsi sunt canones. 16. c. cuncta per mundum. 17. cum ibi notat. 9. qu. 3. c. omnes. 1. dist. 22.* ab Imperatore, *l. 1. ff. à quib. appell. non licet.* à Principe superiorem non habente, ut Rege Franciæ. *c. per venerabilem. 13. qui filii sint legit.*

A delegato Iudice appellatur delegans, *c. super questionem. 27. §. fin. de offic. jud. deleg. l. 3. C. de pedan. jud. si ve is sit Papa, c. ab arbitris. 1. de offic. jud. deleg. in 6.* sive Princeps, *c. significantibus. 49. hic. l. eos etiam. 16. ff. eod.* sive alius: præterquam si Delegans totius causæ jurisdictionem Subdelegato mandaverit: Hoc enim casu, cum ipse nihil jurisdictionis sibi reservarit, non ad eum, sed ejus superiorem, facienda provocatio. *d. c. super questionum. §. porro. & d. l. 1. §. fin. ff. quis à quo app. c. cum te consulente. 18. de offic. jud. deleg. c. si delegatus. 7. eod. in 6.*

Clericus non debet appellare Iudicem Laicum, *in princ. & canon. seqq. 25. qu. 1.* nec Christianus alterius fidei iudicem: *c. 32. Catholicus. 2. qu. 6. nisi sub eo degat. c. si in adjutorium. 7. dist. 10.*

Appellari potest, in quacunque causa, sive civilis sit, sive criminalis, *can. liceat. 2. qu. 6. c. cum sit Romana. 5. §. fin. hic. l. & in majoribus. l. addictos supplicio. 19. l. si quis. 30. C. l. non tantum. ff. eod.* sive major, sive minor, *c. de appellationibus. 11. hic. l. litigatoribus. 14. l. & in majoribus. l. 25. in fin. C. eod.* Nisi expressè prohibeatur.

Prohibetur appellatio, Ea per quam quis impedire conatur, ne testamentum aperiatur; & sic scriptus heres in possessionem non mittatur; *c. fin. §. si quis etiam. 2. qu. 6. l. 6. C. hic. 2.* Ab eo quod Edicto perpetuo receptum & decretum est; *c. consuluit. 27. hic. l. 7. §. pen. ff. de appell. recip.*

*recip.* 3. A possessione momentanea; *c. fin. §. si de possessione. c. 2. qu. 6. l. 2. C. de Edict. D. Adr. toll. l. un. C. si in mom. poss. appell.* 4. Ab executione; nisi (ut dictum) modus excedatur; *c. quoad consultationem. 15. de sent. & re jud. l. ab executione. C. quor. appell. non recip.* 5. Ab regularis disciplinæ correctione; *c. ad nostram. 3. c. reprehensibilis. §. nec subjecti. & §. fin. c. quia nos. 32. hic. nisi modus excedatur; c. de priore. hic. c. super questionum. §. nos autem. de offic. deleg.* 6. A Sententia Interdicti; *c. ad hoc. 37. hic. c. ei qui appellat. §. quoties. 2. qu. 6.* 7. In caussa filci vel tributariæ functionis; *d. c. ei qui. §. quoties etiam. 2. qu. 6. l. 4. C. quor. app. non recip.* 8. A gravamine futuro; nisi de eo communicatio facta sit, vel cum per indicia appareat; *c. inter cetera. c. consuluit. c. cum cessante. hic.* 9. Ab electionis confirmatione; *c. constitutus. 47. hic.* 10. Rescripti concessione. *c. si quando. de rescript. c. ex parte. 4. de stat. & qual. ordin. l. 1. ff. à quib. app. non lic.*

Fieri debet appellatio, vel *illico* à sententia lata, aut gravamine imposito, id est, iudice adhuc pro tribunali sedente, aut nondum ad extraneos actus divertente; *c. post appellationem. §. forma. 2. qu. 6. l. litigatoribus. 14. C. l. 25. ff. hic. vivâ voce, verbo, Appello; vel intra tempus à jure constitutum, id est, hodie, decendum; Nov. 23. §. 1. Auth. hodie. C. hic. c. concertationi. 8. hic. in 6. c. biduum. §. quod autem. c. anteriorum. 2. qu. 6. à tempore illati gravaminis, de momento in momentum computatum, d. Auth. hodie. d. c. quoad consultationem, de re jud. in scriptis post vivam vocem, aut sine ea: *c. appellatione. 9. hic. insertâ, si ab interlocutoria, aliove gravamine fiat, appellationis rationabili causâ, c. 1. hic. in 6. c. ut debitus honor. 59. c. interposita. c. cum speciali. 51. c. causam. hic. & addito, exceptionem suam non fuisse admittam: c. dilecto filio. 65. hic. sin à diffinitiva; neutrum est necessarium. c. 1. vers. is qui. & ibi Gloss. hic. in 6. c. Romana. §. cum autem. & ibi not. hic.**

Potest

Potest ergò qui à definitiva appellavit in iudicio appellationis, quas placuerit gravaminis causas proponere, etiam non coram iudice, à quo est appellatum, propositas; item nova instrumenta, novos testes, producere, non adducta adducere, non probata probare. *c. constitutis. in 2. hic. c. fraternitatis. de testib. c. cum Ioannes. de instrum. l. per hanc. C. de temp. appell. c. accedens. ut lit. non cont. non proc. ad test. exam.*

Qui ab interlocutoria, vel alio gravamine extra iudicium, *c. ut circa. de elect. in 6. c. 1. de his qua fiunt à major. part. Capit. c. bona. hic.* appellavit, solam appellandi causam expressam, non aliam in appellationis iudicio prosequi debet; ut & illud ex iisdem prioris iudicii actis terminari & iudicari. *Clem. appellanti. hic. c. causam. 62. c. ne debitus. hic.*

Appellasse censetur; qui, post gravamen illatum, se protectioni superioris, omisso, per simplicitatem, verbo *Appello*, submitit; *c. ad audientiam. 34. hic.* qui metu appellare prohibitus, intra tempus, quo provocatur, coram iudice à quo appellare voluit, vel, si ejus copiam habere non potest, coram viris probatis, protestatione super hoc propositâ, appellationis causas, *c. fin. hic. c. fin. de offic. ordin. c. fin. de elect.* puta si ab interlocutoria appellatio fit, expressit. *l. 2. C. qui per met. jud. non appell.*

Appellatione ritè interpositâ, appellans *litteras dimissorias*, quibus scilicet causa ad eum qui appellatus est, dimittitur (quæ vulgo *Apostoli* dicuntur), instanter & sæpius uno contextu, *Clem. quamvis. hic.* intra triginta dies continuos, *Gloss. in c. non solum. verb. dicendum. hic. in 6.* à lata sententia numerandos, *Gloss. ad. c. ab eo. de appell. in 6.* ab eo à quo appellatum est, ad eum qui de appellatione cogniturus est, petere debet. Alioqui appellationi suæ renunciassè censetur: *d. c. ab eo. 6. hic. in 6. Clem. 2. eod. l. iudicibus. 24. C. eod. l. un. ff. de libell. dimiss. ut & si Apostolos intra præfixum à iudice terminum non petierit. d. c. 2. vers. verum si iudex.*

Si

Si iudex Apostolos dare negat, à denegatione ea appellans iterum appellare debet: alioqui Iudici consentire, & appellationem deserere videretur, & sententia transiret in rem iudicatam. *Zabarell. ad Clem. I. col. 3. vers. ex hac Glossa. de dolo & contum.*

Apostolis concessis, & Appellato appellatio insinuari debet, ut vocatus ad ejus iudicium veniat; *Clem. I. §. est tamen. hic. Clem. causam. de elect.* & iudici, ad quem, intra terminum præfixum præsentari; *c. 3. §. si verò vocatis. §. quod si objiciatur. hic. in 6.* alioqui prior sententia in rem iudicatam transit. *c. personas. hic. Gloss. in l. præsens. C. hic. & c. saepe. Ext. hic.*

Præfigitur is terminus vel à *Lege*, cum lex, vel statutum, certum præsentandæ appellationis tempus præscribit; vel *ab Homine*, cum iudex personæ causæque circumstantiis perpensis, illud statuit. Uterque ejusdem effectus, nisi quod terminus *Legis* à Iudice à quo minui, non prorogari possit: *c. ad hæc quoniam. hic. Gloss. in d. c. cum sit Romana. Hominis* verò ab ipso iudice à quo intra tempus à se præscriptum rectè prorogatur. *Franc. in d. c. personas.*

Præsentatione factâ, si iudex, ad quem appellatum, appellationem recipiat, debet appellans iudici à quo, suam præsentationem, unâ cum compulsorialibus & inhibitionibus, si eas petierit, referre. *ut not. l. Præses. C. hic. c. personas. & tot. tit. hic.*

*Compulsoriales*, sunt literæ, quibus Iudex ad quem, post appellationis receptionem, Iudici à quo, mandat, ut acta causæ ad se, intra certum terminum, transmittat; *l. Is apud quem. & Dd. ibi. C. de edend. ut veritas inquiri, & falsitas vitari possit. c. quoniam. de probat.*

Quod si nolit, mandatis pœnalibus per iudicem appellationis, ut edat, potest compelli. *d. l. Is apud quem. vid. Gail. lib. I. obs. 13. & 134.*

Dantur hæc literæ non solum pro edendis actis, sed & in privatorum causis pro edendis rationibus, instrumentis, investituris, civitatum statutis.

*Canon.*

*Canon. in c. 1. de probat. & Dd. in l. 1. §. editiones. ff. de edend.*

*Inhibitiones*, sunt literæ, quibus Iudex appellationis iudici à quo provocatum interdicit, ne appellatione pendente quid in causa attentet, innovet, vel ulterius procedat.

Ex tantum decernuntur ad petitionem appellantis, si à sententia definitiva, aut definitivæ vim habente appellatum: *per text. in c. non solum. c. Romana. §. si verò. hic. in 6.* siquidem de appellatione interposita, & jurisdictione iudicis appellationis competenti constat. *c. pastoralis. §. præterea. de offic. deleg. d. c. non solum.*

Non decernuntur; si coram iudice appellationis dicatur non esse appellatum; Aut non debite; Appellationem ad eum defectu Iurisdictionis non pertinere; *d. c. Romana. §. si verò. c. super litteris. de rescript.* Nec in extrajudiciali appellatione; *Panorm. in c. dilecti. num. 4. de major. & obed.* Nec cum tertius pro sua interesse appellat; *Felin. in c. cum super. num. 11. de judic. & Panorm. in c. in litteris. de rest. spoliat.* Nec in interdicto retinendæ possessionis; *c. 2. delect. Gloss. in d. c. non solum. Rot. decimum. num. 1.* Nec in causa nullitatis. *c. presentium. 67. qu. 1.*

Appellatione & inhibitione factâ, si quid nihilominus innovatum vel attentatum, siue à iudice à quo, siue à parte, omnino rescinditur. *c. non solum. 7. c. post appellationem. §. Ulpianus. 2. qu. 6. c. 1. ad præsentiam. 16. c. dilectus. 55. hic.*

Appellatio enim devolvit causæ cognitionem ad superioris tribunal, maximè ubi ab inferiore est admissa: *c. sape. §. satius. hic. c. 1. c. non solum. 7. eod. in 6.* & suspendit sententiæ executionem, ut & Iudicis officium, qui eam protulit; puta regulariter, & ea in causa, & articulo, in quibus est appellatum. *c. venientes. 19. de jurejur. c. dilectis. 55. hic. c. licet. de offic. legat. c. sacro. de sent. excommunic. c. pastoralis. §. præterea. c. fin. de offic. legat.*

In alia causa, quàm à qua appellatum, potest iudex contra

tra

tra appellansem procedere ; *v. cum teneamur. 17. §. c. praeterca. 22. hic.* Nisi forsan ea causa, in qua non appellatum, ita ei in qua est appellatum, sit conjuncta, ut separatim, & nisi post appellationis decisionem tractari & decidi nequeat, *c. super eo. 10. eod. c. post appellationem. §. si quis ex pluribus. 2. qu. 6.*

Non suspendit aliquando, justâ ratione id suadente, appellatio judicis officium quin aliquid cum effectu agere possit ; Nam fructus rei petitæ, si ab appellante à sententia à se lata dissipentur, rectè jubet sequestrari, *c. fin. de sequestr. poss. can. quoties post. 2. qu. 6.* & ea quæ jure, non obstante appellatione, & sine præjudicio ejus executioni possunt mandari, rectè exequitur. *l. Iudex. l. Paulus. ff. de re judic. l. divi fratres. ff. de pœn. l. 1. ff. sent. resc. non posse.* Rectè etiam in causa à qua appellatum, non diffinita procedit, si appellans appellatione renunciavit. *c. constitutus. 45. hic.*

Is appellatione renunciat, vel *expressè*, desistendo ab appellatione, *ut in c. ei qui. §. si quis libellos. 2. qu. 6. c. 4. hic. in 6.* quod potest, si adversarii non interfit ; & sumtus in appellatione prosequenda non fecit ; aut si fecerit, eos ei restituat. *c. interposita. §. 2. hic. vel tacitè ;* puta Apostolos intra triginta dies non petendo, *c. ab eo. 6. c. ut super. hic. in 6. Clem. 2. eod.* judicem ad quem appellavit, intra præfixum tempus non adeundo, *d. c. personas. 4. hic.* appellationem intra annum, vel biennium, vel aliud tempus à judicibus, prout causarum qualitas desiderat, *c. ex ratione. c. oblata. §. superior. c. constitutus. hic.* definitum, non prosequendo : *c. cum sit Romana. 5. hic. c. directæ. 39. c. gratum. de offic. deleg. & tum adversario negligente in expensis appellans damnatur. c. reprehensibilis. 26. c. ad hac. 17. c. pervenit. 28. c. 33. hic.*

Currit hoc tempus appellationis prosequendæ à die interpositionis ejus aut à die illati gravaminis, ubi à futuro gravamine est appellatum. *c. sicut. 3. hic. in Clement.*

Ex

Ex eo subducitur tempus compromissi, si quod inter partes interea intercessit, *c. quamdiu. 4. hic. in Clem. Novel. 23. §. 1.* nec nocet ejus lapsus, si mora judicis sit extractum; *Novel. 119. §. hoc quoque.* si ipse justâ causâ impeditus, appellationem prosequi non potuerit. *c. ex ratione. 1. hic.*

Non tantum qui appellationem deseruit, in expensis condemnatur, sed & qui temerè appellavit; *c. reprehensibilis. hic. c. 1. de elect. in 6. Abb. in c. inter cetera. hic.* puta si de ejus temeritate indubitato constet.

Appellans enim, qui in prima instantia obtinuit, etiam si in appellationis causa succumbat; non tamen est in expensis condemnandus. Quod ita procedit, si ex novis probationibus, & actitatis succumbat; secus si ex iisdem, seu actis prioribus. *juxt. Gloss. in c. ignorantia. de reg. jur. in 6. Imol. & Hostiens. in c. finem litibus. De dolo & cont. & tradit Minsing. observ. 89. cont. 2.*

### De recusationibus.

#### TIT. XXXVII.

**A**ppellationibus affinia sunt, *Recusatio, Relatio, Supplicatio, In integrum restitutio.* de quibus proinde ordine tractabimus.

*Recusatio* appellationi est affinis, quia sicut per hanc receditur ab audientia Judicis, ita per illam. *c. secundo requiris. de appell. c. quod suspecti. 9. qu. 5.*

Est enim *recusatio*, jurisdictionis vel audientiae, causâ suspicionis propositâ, declinatio, *d. c. quod suspecti. c. suspicionis. de offic. deleg.*

Recusari potest tam Judex Ordinarius, *c. si quis contra. de foro comp. c. placuit. 2. qu. 6. c. pervenit. 11. q. 1. c. cum speciali. de appell. quam delegatus: d. c. suspicionis. c. postremo. de appell.* Nisi hic ad petitionem partis sit datus. Is enim qui eum petit, si non ex nova causa

oriatur

Q

oriatur suspicio, *c. insinuantem. de offic. deleg.* recusare eum non potest. *c. inducia. §. offeratur. 3. qu. 3. & c. cum olim. de offic. deleg.*

Proponi debet recusatio ante litis contestationem; *c. inter monasterium. de re judic.* vel post, si tum demum suspicionis causa oriatur, *c. insinuantem. de offic. deleg.* in quacunque litis parte; etiam post conclusionem, si post supervenit: *juxt. Felin. in d. c. insinuantem.* præstito tamen à recusante juramento, eam de novo ad ejus notitiam pervenisse. *c. pastoralis. de exception.*

Fieri debet scripto; quia interlocutoria, à qua, ut supra diximus, in scriptis appellandum, comparatur. *Angel. Fulgos. Salic. in l. fin. C. de judic.*

Illud (Iudici præsentem exhibendum. *l. apertissimi. C. de judic.*) justam suspicionis causam, postea probandam, continere debet.

Iustæ causæ inter alias sunt: Si Iudex litigatori sit inimicus; aut amicus, cognatus, affinis adversarii; aut si in eodem negotio fuerit Advocatus, Procurator; vel ipse cum alio habeat litem similem, ne jus inter alios dicat, quod sibi dici postulat. *d. c. cum speciali. 61. c. cum causam qua. 18. de judic.*

An causa justa sit, cognoscit, si recusatur unus ex Delegatis Papæ, & Clausula, *Quod si ambo interesse non possint, alter in causa procedat*, adjecta, is qui non recusatur; si ea clausula non adjecta, Arbitri; si delegatus Episcopi recusatur, Episcopus: *c. si contra. de offic. deleg. in 6.* si ordinarius Iudex recusatur, Arbitri. *c. cum speciali. 16. c. secundo requiris. 41. de appell.*

Qui partibus terminum, ad suspicionis causam probandam, assignant. Iudex recusatus, eas ad causam finiendam compellit. *c. suspensionis. de off. deleg. in 6.*

Causâ intra annum non probatâ, iudex perinde procedit, ac si recusatus non fuisset. *d. c. secundo requiris. 41.*

Eâ probatâ, debet abstinere, & causam alteri committere, vel ad superiorem transmittere. *d. c. cum speciali. 16.*

*c. cum*

*c. cum te. de offic. deleg. c. pervenit. II. qu. I. c. placuit. 2. qu. 6.*

*De relationibus.*

TIT. XXXVIII.

**R**elatio Appellationi affinis est, quia cum ea in effectu convenit; nam ut appellatione institutâ nihil est innovandum, ita nec ad superiorem relatione factâ.

Est *Relatio*, Iudicis competentis de jure ob difficultatem vel ejus ambiguitatem, *l. 1. §. 2. C. de dilat. dubitantis ad Papam aut Principem missa consultatio. c. intima sti. 68. de appell. c. si quid in Ecclesia. 2. qu. 7. à Justin. prohib. Nov. 185.*

Locum habet, cum vel in casu controverso nullum jus expressum; vel expressum quidem, sed propter diversas interpretum sententias, dubium aut sibi ipsi contrarium. *c. pastoralis. de fid. instr. c. literas. de rest. spol.*

Fieri debet ante sententiam definitivam in scripto; processu coram iudice habito, dubitationis articulis & juribus quæ ipsum perplexum reddant, insertis. *Specul. in §. qualiter. tit. de relat.*

Cujus exemplum partibus edi debet, ut, si fortè relatio alicui minus plena videatur, suas apponere rationes & refutatorios libellos Pontifici aut Principi offerre possit. *c. cum inter. de elect.*

Relatione pendente, quæ innovantur, vel de causæ meritis inquiruntur, vel fiunt, irrita habentur. *c. licet. de off. deleg. c. bona. de postul. Pralat. c. nomen. 2. qu. 1. c. denique. 6. qu. 3.*

*De Supplicationibus.*

TIT. XXXIX.

**S**upplicatio Appellationi est affinis; quia ut hæc ad inferioris Iudicis sententiam corrigendam interponitur; ita illa ad mitigandam sententiæ severitatem illorum, à quibus appellari non licet.

Est ergo *supplicatio* quædam superioris imploratio, adversus

adversus sententiam, contra quam ordinarium appellationis remedium non competit. *Abb. in c. ex literis. de in int. rest.*

Est enim remedium extraordinarium, ex gratia Principis seu Superioris concessum. *Abb. in d. c. ex literis. in ult. not.*

Proinde conceditur tantum ei cui appellationis remedium ordinarium non competit. *Gloss. in d. c. ex literis. in 4. not. Specul. tit. de offic. omn. jud. §. qua ad 1. num. 12.*

Supplicatur ad eundem Judicem, à quo aliàs appellare non licet. *Auth. qua supplicatio. C. de precib. Imp. offer. ubi Ias. Specul. de supplic. in princ.*

Supplicatur tantum in casibus, ubi remedium appellationis ordinarium cessat, *Gloss. in d. c. ex literis. in 4. not.* puta propter Judicis vel excellentiam vel privilegium; non ubi de jure communi appellare non licet. *Innoc. & comm. Canon. in d. c. ex literis.*

Fit Supplicatio, ut Appellatio, vel in continenti; vel post inscriptis. *Salic. Ias. Gloss. in d. Auth. qua supplicatio.*

Fieri debet intra biennium, si fit superiori, ut Principi; *l. un. C. de sent. Praef. prat.* intra decem dies, si judici. *ut in d. Auth. qua supplicatio. ita Gloss. in d. c. ex literis. in verb. supplicavit.*

Intra decem dies si facta, sententia non aliter executioni mandatur, nisi victor tantum restituendi, si ipsum postea succumbere contingat, quantum fuerit in condemnatione, satisfactionem præstiterit. Intra biennium, post decem dies, si facta supplicatio, indistinctè, sine ulla satisfactione fit executio. *Abb. in d. c. ex literis. & Gl. ibid. in verb. supplicari. text. in d. c. Auth. qua supplicatio. Mins. I. obs. 74. & cent. 6. obs. 74.*

### De in integrum restitutione.

T I T. X L.

**R**estitutio in integrum Appellationi est affinis, quia ut hæc judicis imperitiâ vel sententiæ iniquitate læso succurri-

curritur; ita illâ ei, qui metu, dolo, errore, aliâve causâ excusationem merente, in captionem incidit.

Est *Restitutio in integrum*, in pristinum statum reductio, *l. quod si minor. 25. §. restitutio. ff. de minor. l. un. C. de reputat. qua fiunt. &c. l. 1. C. de sent. pass.*

Datur sive sententiâ judicis, vel alio judiciali actu sive & contractu alioque casu, læsis. *l. 1. & passim. ff. de minor. & tot. tit. ff. & C. quibus ex caus. major. c. 1. c. 8. hic. c. 1. eod. in 6. Minoribus viginti quinque annis; l. 1. & tot. tit. C. si adv. rem judic. l. pen. C. sent. resc. non posse. l. ait Prætor. 7. §. sed & ff. de minor. & eorum exemplo Reipublicæ, l. 4. C. quibus ex caus. major. l. 3. C. de jure Reip. lib. 11. & Ecclesiæ, c. 1. & 2. hic. Gloss. in c. 1. verb. jure minoris. & c. auditis. eod. c. quid ergo. 23. qu. 4. c. jus publicum. dist. 1. etiam contra aliam Ecclesiam. d. c. auditis. item Majoribus viginti quinque annis, sed his ob justam, doli, metus, *tot. tit. quod vi met. caus. absentia, l. 1. & 2. C. quib. ex caus. major. l. nec non. 28. ff. eod. erroris, aliamve causam. l. 1. §. 1. ff. quod fals. tut. l. 2. de restit. in int.**

Conceditur etiam contra Summi Pontificis, *c. tum ex literis. 5. cum c. seq. hic. c. sententiam. 35. qu. 9. adde c. veniam. eod. qu. 3. aut Principis sententiam. l. minor. 19. §. 1. ff. de minor.*

Peti debet intra quadriennium continuum à tempore læsionis computandum; *c. 1. in princ. cum. c. seq. hic in 6. c. un. eod. in Clem. l. ult. C. de temp. in int. rest.* Nisi ob aliquam causam, ex qua in integrum restitutio decerni solet, ea intra hoc tempus non sit petita, *d. c. 1. vers. aut alia rationabilis.* Nisi jure communi juvetur læsus; ut quia ipso jure non valeat, quod actum est: hoc enim casu quadriennii præscriptio non obstat. *c. ult. in fin. hic. in 6.*

Peragi debet cognitâ causâ, & præsentente adversario, *l. 3. ff. hic. l. 3. ff. ex quib. caus. aut per contumaciam absente. c. cum ex literis. 5. §. tandem deliberatio. hic. l. in causa. ff. de minor.*

Eam concedere possunt iudices ordinarii administrationem habentes; & ab eis delegati; si scilicet specialiter ea causa ipsis delegata sit, vel alii causæ delegatæ incidat. Non delegati ab ordinariis administrationem non, sed tantum iudicandi facultatem, habentibus; non arbitri compromissarii. *c. causa. 9. hic. l. 3. C. ubi & apud quem. &c.*

Eam si semel alicui in alio iudicio denegarunt, præterquam ad appellationem omissam, amplius concedere non debent; nisi ob novas defensiones. *c. fin. hic.*

Ea si concessa; si contra sententiam, causa ex integro agitur: *l. 1. C. si adv. rem jud. sin. contra contractum aliumve actum, res retractatur & in pristinum statum reponitur, ita ut unusquisque, tam qui restituitur, quam alius contra quem restitutio postulata, c. generalis. dist. 54. c. suam. de pœnis. jus suum integrum recipiat. l. quod si minor. 24. §. 4. ff. de minor. l. un. C. de reputat. qua fiunt. l. 1. & 2. C. si adv. transact.*

Tempore si quis se læsum dicit, non fiet totius temporis restitutio, sed ejus tantum, quanto se læsum probat. *Clem. un. in fin. hic.*

Pendente causâ restitutionis, nihil innovari debet, sed, donec ea sit finita, omnia in suo statu manere: *l. un. C. in int. rest. post.* Nisi restitutio contra sententiam petita malitiæ & tergiversationis suspitione laboret; tum enim sententia executioni mandatur, præstitâ tamen ab adversario cautione idoneâ de restituendo eo, si superatus in restitutione petenda fuerit, quod medio tempore sententiæ ipsius occasione percipiet. *c. suscitata. 6. hic.*

Quod omne Iudicis arbitrio committitur. *d. c. suscitata. 6.*

#### *De confirmatione utili, vel inutili.*

#### T I T. XLI.

**S**equitur de confirmatione utili, vel inutili: quia aliquando sententia per appellationem suspensa, per superiorem vel inferiorem iudicem, confirmatur.

Est *confirmatio*, actus legitimi vel canonicè celebrati per jus confirmandi habentem, ex certa scientia & causa cognita

cognita facta corroboratio. *c. studuisti. de offic. deleg. & c. bona memoria. 3. hic.*

Fit vel à *Lege*, cum ea ex causa jus constitutum firmat; ut ex lapsu fatalium, neglectu vel desertione appellationis sententiam firmat, eaque in rem judicatam transit: *c. cum sit Romana. de appellat. Clem. sicut appellationem. eod.* Vel à *Judice* superiore & inferiore ordinariam aut mandatam jurisdictionem habente; *c. de confirmationibus. c. examinata. hic. c. 2. de rescript.* ab inferiore, cum, ob appellationem desertam, suam à superiore cum inferioris sententiam confirmat; non contra: *c. innotuit. de elect. c. cum inferiore. de major. & obed. c. inferior. dist. 21.* Vel à *quovis Pralato* pro ratione dignitatis, quâ aliis præeminet. *c. nihil est. de elect. c. ad nostram. c. fin. hic.*

Confirmantur non tantum actus judiciales, *Auth. ei qui appellat. C. de temp. & reparat. appell.* sed & actus Canonici; ut sunt electio, institutio, præsentatio, collatio, &c. *c. ex insinuatione. de procurat. & c. postquam. de elect.* item actus legitimi; ut sunt adoptio, acceptilatio, tutoris datio, &c. *vid. l. actus legitimi. ff. de div. reg. jur.* Non actus juris gentium, qui voluntate partium nituntur; ut sunt, emptio venditio, locatio conductio, &c. Nisi partes confirmationi consentiant: Pontifex eos de plenitudine potestatis ex certa scientia confirmet. *arg. c. quia diversitatem. de concess. præbend.* Item confirmantur privilegia, *c. inter dilectos. de fid. instr. beneficia, c. ad nostram. hic.* possessiones, *c. dudum. de decim. arbitria, compositiones, transactiones. c. fin. & c. examinata. hic. c. fin. de transact.*

Fieri debet confirmatio, ex certa scientia, cum causæ cognitione, ad petitionem partis, si ea alii possit præjudicium afferre. *c. 1. de transact. c. venerabilis. hic.*

Ea concessa vel *jus tribuit.* ut in confirmatione electionis datur administrandi potestas: *c. transmissam. de elect.* De beneficio, per Pontificem ex certa scientia, & cum causæ cognitione confirmato præter Pontificem, & cui is specialiter commisit, nemo cognoscere potest. *c. quoniam*

*Abbas. de offic. deleg. c. veniens. de test. c. Raynutius. de testam. Vel jus constitutum tantum declarat & conservat. c. preceptum. dist. 12. c. quia intentionis. de privileg.*

Priori modo concessa, petitionem alterius & iudicis cognitionem remoratur, non posteriori modo; in forma, puta communi, concessa. *c. quia diversitatem. de concess. prabend. c. conquestus. II. qu. 3.*

Sed hæc obtinent, si confirmatio sit *utilis*, id est, si valet; non, si *inutilis*.

*Inutilis* est, quæ per subreptionem, *c. 2. hic.* vel obreptionem, *c. ad nostram. hic.* impetrata.

### *De Iudiciis extraordinariis.*

#### T I T. XLII.

**H**Actenus diximus de iudiciis ordinariis: restat ut & de extraordinariis seu Summariis aliquid dicamus.

Est *Iudicium Extraordinarium* seu *Summarium*, quando non in figura iudicii, sed ex iudicis officio, per modum inquisitionis, vel denunciationis, vel aliàs de plano & æquitate proceditur. *c. super his. & c. qualiter. de accusat.*

In eo ergo, nec solennis libelli porrectio, nec litis contestatio est necessaria. Tempore feriarum ob hominum necessitates concessarum iudex potest procedere, dilationes, exceptiones, appellationes dilatorias & frustratorias repellere, testium superfluum multitudinem refrænare; terminum ad simul positiones & articulos dandum præscribere; ad omnia acta & monumenta, quibus partes in causa post articulorum dationem uti volunt, diem certam pro libitu assignare; stans vel sedens, etiam conclusione non factâ, sententiam proferre. *Clem. sæpe. de verb. sign.*

Sic proceditur, in causis electionum, postulationum, vel provisionum, dignitatum, personatum, officiorum, præbendarum, decimarum, matrimonii, usurarum; & similia. *Clem. 2. de iudic.*

FINIS LIBRI TERTII.

AR-